

Respnk 2170/1


DE PHILO LOGIA LIBRI II.

GVLIELMI BVDAEI PARISIENSIS,
Consiliarii Regii, Libellorumque supplicum
in Regia Magistr*i*: Ad HENRICVM
Aureliensem, & CAROLVM
Angolismensem, Regis filios.



CVM PRIVILEGIO REGIO

Excudebat Iodocus Badius Ascensius Mense Novembri,
Anno M.D.XXXII.



454

DE PHIL

LUGIA LIBRA.

CLOTHIUS BADAEI PARISIENSIS


GRATIANI LIBRARIUS IPOLLITIUS LIBERI

ANNEAUX ALEXANDRIUS MARY

ALLEGORICALIS CAROLAN

ALLEGORICALIS RE

ALLEGORICALIS



CAN PRIVILEGIO REGIO

EX LIBRIS ALEXANDRI MARY LIBRARII

ANNO MDCCCLII.

LIBRORVM DE PHILOLOGIA PRAEFATIO AD HEN-
ricum Aureliensem, & Carolum An-
golismeñ. Regis filios.



ITERARUM OPTIMARUM STUDIUM recte
nunc comparatum esse generosissimi
Principes, latari vehementer ipse cœpe-
ram: eamq; ob causam in meo vita in-
stituto suavi cum gratulatione mecum
ipse acquiescere. quippe quod nationū
penè omnium cōsensu, quarum ad nos
usque fama pertinet, probari intellige-
rem. Græcarum vero literarum studiū
luculenter & pañim apud nostros efflorescere, quod annos
ego complureis sine æmulo deperieram, (qui quidem certe
quoquomodo innotuerit,) gaudio triumphabam. Iuuabat
enim audire explosam non paucorum hominum dīlectāmq;
coitionem, facinorosam & capitalem: qui literarum claritatí
denuo recens exortæ, tenebras offundere Cimmerias obstina-
uerant. Verum quoniam ita rem natam esse videbam, ut qui
iusta animi cōtentione atque acriter ad eam curam incubuis-
sent, ii liberali ingenio magis homines esse & ingenuo, quam
frugi existimarentur: ad vulgusque ea de causa non magni-
pere eorum consilium, ad ordinēsque probaretur: vereri mihi
subiit, ne ea contentio literas bonas certatim perdiscēdi, quæ
repente extiterat, cito quoque consenseret. Nam cum sin-
gularum fere artium professio reddere fœneratō soleat quod
ei expensum ingeniosissimus quisq; tulit atq; strenuissimus: e
diuerso literarum optimarum studiū, quod vniuersarum
summa artium disciplinarū inque complectitur, in sortem
quoque decoquere diligētissimo cuiq; hodie manifestum est,
iccircōque male audire apud multos solere: apud eos etiam
pessime, qui rei augendæ curam conditionisque amplificāde,

omnibus aliis curis præuertendam esse rentur & consestan-
dam . Et quidem ut nunc sunt mores , cernere est luculenter
in liberalissima sorte studiorum geminā eandem summamq;
indignitatem . Nisi vero non summa est indignitas , quod ho-
mines honestissimæ doctrinæ amantissimi , publiceque hono-
rificentissimæ , nullo loco hodie numerōque habentur , ne ex-
tremo quidem in congiariis liberalitatis regiē distribuendis :
quæ tamen ipsa imprimis præmia virtutis esse deberent , ani-
morumque iacentium propter fortunæ iniquitatem , suscita-
bula , atque intermortuæ eorum contentionis . Nisi etiam non
pudendum est fronti publicæ , quod longe latèque pauperies
in eorum patrimoniis conspicua est , qui liberalissima studia
atque iam olim nobilissima , negotiatoriis studiis & quæsto-
riis anteferenda duxerunt : quo nihil nec acerbius doctæ ac fa-
cundæ senectuti potest esse , nec inuidiosius callilogiaæ , apud
ingeniosissimum quenque hominū iam mire gratiose . Hec
igitur animo mihi versanti , Príncipes suauissimi , (à natali-
bus ipsi ac generis fastigio non magis illustrissimi , quām ge-
nerosissimi ab ingeniis præcellentibus , voluntatumque indo-
le eximia) cupido incessit haud ita pridem , periclitandæ vo-
luntatis regiæ . Hanc enim ego numinis instar esse existima-
bam , ad dispellendam illam (ut ita dicam) nubem hallucina-
tionis publicæ , quæ certam Philologorum nationi calamita-
tem importatura videbatur , nisi obuiam mox iretur . Operæ
autem præcium non mediocre facturum me putabam , si deo
bene iuuante parentis vestri maiestatem cum benignitate no-
bis nota , literarum bonarum nomini , præsentes , propitiæ ac
fauentes redderem . Id quod facere me posse eō sperare faci-
lius & cōfidere cœpi , quod vberima naturæ dote præditum
ipsum esse noueram , atq; beatissima simul eruditioñis germa-
næ & antiquæ admiratione non vulgari , quasi naturæ sponte
magisterioq; imbutum . Quo nomine cum apud ipsum in opí-
nionem non quamlibet pridem ipse venisse , insinuantis de-

tum famæ, non etiam cuiusquam hominis suffragio, quod
 mihi quidem ipse vel precio vel prece comparauissem, perso-
 nam aliquando mihi patroni in universum ordinis literarii,
 assumendam esse duxi. Id vero mea causa facere minime in-
 stitueram, ut qui iam mihi quicquam amplius sperare desis-
 sem, non modo flagitare: cum aliâs, tum ob extatam iam affe-
 ctam, & vitæ conditionem, spei eiuscmodi vacationem iam
 habetem. Aliorum vero commodis spei quæ prospiciebā, quicq[ue]
 in medio cursu sunt, quicq[ue] in posterum in spatiū nobis quo-
 quo modo decursum, ingressuri sunt, simul qui nuper egressi
 sunt è carceribus. Quod si literarum natalem instauratiuum
 (qui in id tempus in Francia incurrīt, quo tempore parens ve-
 ster Regum illustrissimus, auctus est tanto diademate) beni-
 gnitas afflauerit quam speramus sideris natalitiū, (quod non
 sine lætis ominibus mihi ipse omnibusq[ue] spondeo) doctorum
 vtiq[ue] iam centuriæ ex quinta (quod aiunt) classe, in primâ se-
 cundamq[ue] transribentur, duntaxat sui quicq[ue] ordinis & gene-
 ris. Id porrò ne frustra, ne de nihilo, ne temerariis de causis
 sperare ariolariq[ue] videamur, regii adhuc fauoris præiudicia
 habemus nec pauca nec contemnenda: quædam etiam claris-
 sima, non ex tempore effusa, non in labris, nō inter buccas na-
 ta, nec vero quæ ore ipsi Regi excidisse videatur alias res agé-
 ti: sed quæ inita (vt aiunt) subductaq[ue] ratione, non in occul-
 to, non obscurè, sed palam, vt ipsi scimus, & tanquam pro-
 solio regali pronunciata. Atqui regiæ non modo senten-
 tiæ, sed etiam opinionis tanta est auctoritas apud Francos,
 quanta usquam maxima esse potest gentium. tanta vis ad
 incitanda studia vel inhibenda, eo ut vergant statim omnia
 & ferantur, quod sensus eius & voluntas propendere no-
 scuntur. id adeò, regiorum vt oculorum circumactu, sce-
 na (vt sic dicam) ipsa Reipublicæ, theatrumque to-
 tum communis prudentiæ, cum orchestra, cum ordinibus,
 cum cauea denique cuneisque versetur. Quod si in hac

III

fatali inclinacione animorum quae hoc principatu extitit, pri-
uata forte nostra ratio hactenus implicita esset, ut ordo lite-
ratorum apud eum adiutus & subleuatus meo patrocinio &
suffragatu, sua deinde vi in priscum honoris gradum opinio-
nisq; reponeretur: id mihi non minus amplum apud nostros,
tam commemorandum in praesens & in posterum, fore existi-
mabam, quam si ordo ipse Philologorum, aurum (ut dicitur)
coronarium, ad statuam mihi contulisset in Athenaeo collo-
candam. Huiusc autem generis argumentum, tantummodo
inchoatum, cum epulante more suo Rege, serii satis acroama-
tis vicem, grauisq; sermonis non semel praebuisset: me pri-
mas semper agente: idq; ad primores aulæ atque interius mi-
nisterium non frigere adnotauisse: periclitandum tan-
dem audentius esse duxi, nauiterq; tentandum, ecquid pro-
fici hac ratione posset a nobis in commune. Ad quod sane fe-
riatis auribus Principis opus erat, magnaq; & multa tran-
quillitate ab interpellationibus. At vero quoniام ea res
non tam consiliī esse solet atque prouidentiæ (ut quidē sunt
aulæ commercia) quam fortis fortunæ muneris, atque occa-
sionis ex tempore arripiendæ: id demum meminerā in nobis
situm esse, appositissime ut exciperemus quod inde oblatum
foret articulo temporis imminentibus. Expectata igitur sæ-
penumero oportunitas, cum se mihi quodam die sistere ex ani-
mi sententia visa esset, vacuasq; aureis regias & attentes ad
causam attulisse: illicet ē re nata exorsus, eo statim sermonem
ipse detorsi, quo causa ipsa poscebat: effeciq; protinus, Rex ut
audire ipse causas non abnueret, quamobrem cum literis bo-
nis inique in Francia & præpostere actum esse ad eū diem vi-
deretur: tumq; (ut opinor) docui, communem sensum Fraciæ,
in reddendo iure distributio litem suam hactenus fecisse fœ-
dissime. In eo autem sermone causam ego egī Philologiæ, tanq;
ad me delatam, quā olīm ipsam meam propemodū vnius aut
paucorū, nunc plurimorum cōmūnem, nō minus iure expostu-

Iantem induxi, quā m ius equumq; postulātem, quā m potui
enixissime atq; fidelissime. cæterum spem omnem obtinendi
iuris sui ponentem in imploranda fide Principis, optimi ve-
stri parentis: obsecrantem etiam numina benignitatis regiæ
summeq; æquitatis. iis enim præsentissimis opus erat atq; fa-
tientissimis literarum elegantium nominis germanæq; erudi-
tionis assertoribus. Verum enimuero eius sermonis seriem
& contextum illustrissimi Principes, cum librariorum offici-
nis permittere statuisse: vobis herilibus filiis natura ger-
manis, ingeniorum exosculandorum similitudine fratribus,
ad literas condiscendas concordia & facilitate geminis, cha-
rissimisq; ipsius Regis secundum Cæsarem nostratem pigno-
ribus, ideo dicandum esse duxi: quod magnopere & promo-
uere incœptum nostrum possunt & secundare vestræ apud
ipsum suffragatiunculæ. Iis enim gratius utiq; nihil, nihil iisdem
iucundijs esse potest indulgentissimo patri, eidemq;
Principi. Ad quod libentibus ut animis propensijs acci-
gaminij, oro vos atq; obtestor per eam claritatem gloriām q;
nominis, quæ vos olim ob literarum studium supra cætera
manet. Quarum vos causam superiorem facturi estis procul
dubio, si nobis eam actitantibus, cum aduocationis vestræ
gratia & ad stipulationis affueritis, atq; defensioni literarum
propense ipsi subscripteritis. Quippe quibus mox ipsis, vt pri-
mum adultior ætatula se protulerit, magnarum rerum auspi-
cia aut rata facere, aut dirimere eiusdem Principis ac parétis
indulgentia dabitur. Tametsi vero ipse à Regis colloquio
repulsi vultu nunq; discessi, duntaxat cum mihi rem gererem:
horum tamen postulatorum fiduciām, tum in eius benigni-
tate, vt dixi, tū in interuētu vestro gratiissimo apud ipsum,
æquam propè partem sitam esse duximus. Vos autem cū di-
co, Regis regniq; delicias dicere me sentio. Quos duos (vt ita
dicam) stolones, liliata stirpe enatos, breui futuros viuifradi-
ces speramus, in partemq; transferendos capessendæ reipu-

blicæ, cū florētissimo Delphinate germano vestro, ætatem iā
ineunte. Vosq; velutí Diōscuros videre mihi videor, seruato-
res olīm futuros rei literarię, emersę ab diuturno naufragio:
vt pote quibus exēplo apud nos inaudito contigerit, vel lōgīf-
fimo certe interuallo relato, elegātis & iustę doctrinę incuna-
bula & elemēta discere, prēceptore sub doctissimo, idq; in etau-
tula patri suauiaida. Quā ob causam cū in vobis purę adhuc
parmę Prīncipibus, adhuc indolē ferme tātū suspicere & ad-
mirari, eāq; ob causam nobis gratulari literisq; possimus: ac
naturę prēstatiā prēdicare, ne paternę quidē fortasse cōcessu-
rā: quo nihil maius dicere possum: præsciscere tamen & prē-
dicere virtutē posthac sese prolaturā iuuat, orisq; dignitatem
agnoscere ante annos pubescentem, & mulam quoque ipsam
paternę ac simillimam. Fuit autem eius sermonis summa in
eam propè sententiam, quam subiiciam, quantū quidem com-
plecti memoria potui. Verū enim uero cū ego alacri admodū
animo laboreq; non sentiēte scriberē: id demū mihi molestū
fuit, q; rem ipsam nudā ac merā, quasiq; mīmū quendā assūm
sine actionis cōdimento, prodere me sentiebā. Quòd si in rem
præsentē homines stilo perducere potuissēm, libētius nihil hi-
lariusq; fecissem, q; vt oris prīmū regiū dignitatē, deinde au-
diēdi viciissim loquendiq; benignitatē, deniq; ciuilē in princi-
palī sermone vrbanitatē & comitatē, elocutionis pigmētis co-
loribusq; adumbrarē, quandoquidē verbis tantī puris expri-
mi illa nequeūt. Hęc sunt quae mihi fiduciā disserēdi, & ve-
ro libertatē cū Hero disceptandi, nō Decembrē modo, vt ait
Horat. & Saturnalitiā: sed etiā perennē, omniūq; horarū pene
dederūt, tāq; perpetuis in Liberalibus agēti, cū de studiis lité-
risq; ingenuis sermo apud eū excitatus est. Quidnā autē, dice-
bat ille quodā Rhodiis de Demosthene, si truculētā ipsā ferā
audiūissetis: Quid autē lectores de eo qđ scripsi existimassent,
si facūdiā, si humanitatē, si cādorē regiū decēter & cū digni-
tate velutī morigerū oculis & aurib⁹ haurire cōtigisset ipsiſ.
Sed iā ad rē ipsā veniēdū est, cuius fuit exordiū huiuscemodi.



NIMVERO HERE VERERI
mihī sāpe subiit, ne studio-
sior ipse fuisse sapientiæ vi-
derer, quā in prudētiæ, idque
hominum sermone agitatum
in cauillationem vertisset.

Quam id tandem ob cau-
sam (Rex inquit) Budęe, aut
qui fieri potest? nonne sapien-
tia, veri, honesti, & vtilis co-
gnitionem complectitur: vt

qui horum causas & rationes teneat, eaque ita consecetur
vt homini expetenda, is sapiens haud dubie prudēnsque me-
rito dīci atque existimari debeat. Certe quidem ego sic sem-
per arbitratus sum. Est ita (inquam) vt dīcis Here, sicque
sapientiæ auctores magni locutí sunt, scriptorésque no-
bilissimi: Græci præsertim, Sapientiam vt appellarent, ar-
tium liberalium consumatam cognitionem. Prudentiam
etiam Plato, hoc est phronesim, pro scientia sāpe accepit, &
nos eam ob causam quosdam iuris esse prudentes dīcimus
& appellamus: hancque esse aiunt, mentis & intellectus
exactam quandam constitutionem & absolutam. Verum sa-
pientia proprie virtus est, contemplatrix rerum sempiterna-
rum, atque earum quæ semper eodem modo se habeentes, non
admittunt mutationem. Cum interim prudentia in iis per-
cipiendis occupata sit, quæ mutabilia quidem ipsa, sed ta-
men ad humanam vitam agendam conducibilia esse ma-
nifestum est, duntaxat vt est comparata iure gentium vita.
Ac tametsi sapientia cum nominis maiestate, tum re etiam
ipsa dignior sit prudentia, nam digniora excelsiora que con-
templatur, hominibus tamen vtilior est commodiorque pru-
dentia. Et quum omnes quidem ferme virtutes actuosaæ sint,
omnium ipsa actionum prudētia à virtute manantium, quæ

dam est velut architectura. Nam & Anaxagoras & Thales
 & cæteri, qui sapientes olîm appellati sunt, sapientes quidem
 reuera, non etiam prudentes fuerunt, inquit Aristoteles. Ut
 enim scientiam habuerint rerum eximiarum & mirabilium
 & diuinarum, ut fertur, nullius tamen usus illis ea fuit scien-
 tia, cum humanorum bonorum rationem vitæque conducibi-
 lium ipsi ignorauerint. Quippe ut medicina valetudinis, na-
 uigationis gubernatio: ita viuendi ars quædam est prudètia,
 ut inquit Marcus Tullius. Vereri igitur Here non ab remi-
 hi video, ne ii qui me omne pene tempus ætatis florentissi-
 mæ, omnemque animi qualiscunque contentionem, in hisce
 literis consumpsisse viderint aut meminerint, haud commo-
 de memetipsum de me meaque familia meritum esse, ridicu-
 le dicitent & cauillentur. Certe quidem nulla maior esse po-
 test aut damnosior inscientia, quam vitæ, recte, commode, at-
 que ordine constituendæ. Ita hæc quam graui nomine ac spe-
 cioso vocamus philosophiā quasi studium sapientiæ, quod re-
 rum vtique humanarum intelligentiam diuinarumque con-
 sectatur, & præfert, sapientiæ quidem titulum sibi tueri po-
 test, non item prudentiæ. nisi hominibus vna quoque id præ-
 stet, vnde conditionem quisque suam vberiorem facere am-
 plioremve possit: quem fere finem esse videmus omniū more
 hominum viuentium. Quis vero nunc nō nouit, & exprobrā-
 tis more sæpe memorat, quam exigue, quam dispendiose,
 quam exiliter, quam obscure denique, & pene dixerim cala-
 mitose, cum iis agatur hominibus, quam voles ingeniosis,
 qui in hoc studio paulo vehementius diutiusque detinentur.
 Proinde ut docti esse dicātur, & viri probi: (harum enim lau-
 dum copiam homines quoque alias tenaces & præparci, fa-
 cile iis largiuntur) parum tamen frugí vulgo existimantur,
 ut parcissime loquar. Quin & nonnulli ad rem paulo auidio-
 rum, ad agnatos eos (ut dicitur) & gentiles deducendos esse
 censem, qui aridas istas & iejunas artes insano studio ina-

nique prosequantur. Quippe qui sapientiae pollicitationibus & festiuitate nominis capti, in rei familiaris incuria interim acquiescant: atque aduentantem egestatem, obrepentemque asseclam eius ignominiam, non prouideant. cum etiam alioqui nihil hebetius atque contemptius iisdem ipsis esse artibus videatur, quae nec rostratae, nec vnguis formidolosae (vt aiunt) propulsare famem nequeant, iniuriamque cum opus est, aut arcere aut inferre. Vnde fit vt homines frugi, id est rei augendae prudentes & studiosi, musarum commercio interdicere liberis suis alumnisq; soleant, vt patrimonii exitiali & censibus tabifico. Tabifico autem? Rex inquit. Quid hoc tandem verbi est Budex? vide ne temet ipsum forte religione ad populum eruditum, piaculoque alligaris, qui literas tantopere iam celebres & expetitas, vt noxam nocentes criminis. Mihi enim quodam modo videre Mineruam ipsam, & si alienis verbis, conuicio tamen affecisse, vt impostricem & maleficam. Atqui, inquam, Here, propitium mihi numen eius diu imprimis semper optauit, nec habeo quod ei priuatum succenseam, nisi quod me supra modum affecisse philistris suis, & sirenibus miris pellexisse dicitur: id quod non tam mihi vitio, quam illi criminis ab hominibus, me reclamante versum est. Et quidem quando nunc feriatas aureis tuas Here, & propensas huic sermoni nactus sum (vt opinor) non ab re id, nec iniucundum fortasse maiestati tue futurum est, si a carceribus (vt ita dicam) commemorare studiorum meorum cursum progressumq; ad hunc diei, coepero, qui mihi cunque exitus eorum futurus est. Id quod si per tuam mihi notam nobilemque adeo humanitatem perorare licuerit, eoque tute animum istum tantisper aduerteris, inde iam vtique exemplum statuetur, vnde iuuenes ingenio praediti, consilium sumere debeant tanquam

in viarum diuortio existentes , aut sapienter vitari aut prudenter instituendi . eius enim consilii examinandi capiendaq; momenta , sic est regia pendere sententia quasi e libra lances , homini dubium est iam nemini . Quonam autem pacto (Rex inquit) recte nos censere iis de artibus possumus , quas nunquam coluimus . Vtinam (inquam) Here tam id velis quam potes . Nam quod in omni artificio institutoque ciuili semper valuit , tanti ut vnumquodque esset , quanti a regibus vel quibuslibet aestimaretur , in hoc quoque studio non dubie , in istaque praecipue maiestate valebit . Proinde in eo sum , ut quum ærumnas permultas discendi cupiditate susceperim , diuque pertulerim , haudcum tamen statuere possim , prudenter an secus studiorum meorum ratione in comparauerim : nisi sententiae regiae calculus rationi a me in ita accesserit & subscripserit , quasi consilii mei propositaque ornamentum , operaque literis a me nauatæ , ab aliisque adeo nauandæ , clara (ut ita dicam) & memorabilis indicatio . Id vero si mihi (ut spero) contigerit , æquis , iniquis , maioribus , æqualibus , huius denique temporis hominibus & posteris , illico persuasero , non prudenter modo me & frugaliter , sed etiam feliciter & auspicio vita instituendæ consilium cepisse . Tametsi certo quodam consilio (ut ingenuo loquar) ad id studium me contulisse affirmare non tam ausim , quam fateri non pudet , rem eam fati fuisse siderisque mei natalitiæ . qui nullum eius instituti exemplum nec vidisse tunc vernaculum , nec meminisse possim : ne translatitium quidem externumque sequerer . quippe qui tridui nunquam aut quadridiu ab incunabulis meis digressus essem . Memini vero , Here , quum ante aliquot annos ne scio quid huiusce seu consilii seu euentus & sortis coram te commemorare , tuque admirantis specie vultuq; præte ferres (era enim reces in aula mandato tuo literisque accitus , famaque tamen

tum tibi , aut sermunculis homínium notus). Verum memí-
ní adesse tum forte in eo sermone , qui super mensam itidem
tuam , vel à mensis protinus vltimis habitus est , virum mi-
hi & municipiū iure & necessitudine quadam coniunctum ,
nunc primario in magistratu urbano constitutum , tunc in au-
la fungentem honoratissimo munere . Is igitur admirantis
similem te intuens , Atqui (inquit) Here , cum Budæus ē re-
gione ædium mearum plus decennium iam habitarit (tum
autem ego vicinus illi eram magistratuī) nunquam vidisse
eum memini , non festo , non profesto , in limine domus , ut asso-
lent nostrates , ociantem : nunquam horis pomeridianis círcu-
lantem , aut viatores & prætereunteis círcunspectantem : nun-
quam denique tempusculum anni causa conteretem & trā-
mittentem . Tum alia addidit nonnulla , noui quidem illa &
rarissimi exempli , sed in viro iampridem & parente , omnino
inuisitati : addo etiam publico munere prædicto , & cætera ciui-
li more viuente . Quæ cum ille dixisset , ibi tu ad me conuer-
sus leniter , & tanquam expectatione suspensus : cum & scisci-
tari ex me aspectu tuo placido viderere , ecquid ille vera pro-
locutus esset , & sermonem (vt fit) longiorem querere . Sa-
nè (inquam) Here sunt ista ut dixit ipse vera . & iis vero ego
alia maiora perdiu facere perseueraui , quæ foras non prodie-
runt : & quæ si prodita essent , fidem (vt opinor) non inueni-
rent . Sed omnia maiorem in modum facere , atque etiam ma-
ximum mihi necesse erat , homini nec ingenio felici prædicto ,
& qui in adolescentiæ clausula , non dico discipulus , sed tan-
tum tyrunculus huius studii esse cœpissim , & vero gētilis il-
lius Aristippi qui Metrodictatus appellatus est . deniq; qui à
memetipso omnia mutuarer : siquidem nullus erat vnde roga-
re possem . Hæc autem magna ex parte patris mei obitum co-
secuta sunt . Quem cum indulgentem ipsum principio nactus
essem & benignè suppeditantein , tametsi tres me fratres eti-

DE PHILOLOGIA

te anteirent, quatuor subsequerentur. Erat enim (ut temporibus illis) satis ample prædiatus, & stipendiis munera publicorum classice cōstitutas habebat facultates post aliquot annos sensim fauere studiis meis destitit. Namque is ut me sensit cuncta iuuētutis studia, omnia ludicra atque seria quibus antea flagraueram, literarum studio planè posthabere constituisse, feruentisque ab ætate & natura animi contentionem ad solam Philologiam detulisse, quam sine riuali perditè amare me tunc absurdum videbatur, fortunisque meis & fortunæ calamitosum futurum. Igītur simul ut quem impetum cepisset animaduertit, homo tum septuagenario iam proximus, cuiq; ægra valetudine assidue ab anno quinquagesimo laborare contigisset, ob idque medicinæ studiosus experiensque euasisset, reuocare me & retrahere institit tanquam vehementiorem in modum incitatum, & iamiam præcipitaturum in exitium. Itaque suadere, monere, distinere in diuersa me parte, imperatisque operis aliis super alias auicare. Id vero eius commentum non mihi minuere laborem & industriam, sed geminare cœpit. cum ego nihil mihi desperare temporis literis destinati sinerem, quin tantundem lucubratione & vigiliis exactè rependerem. Tandem autem, quum ipse tum indulgenter, tum pro suo iure mecum agendo perficere non potuisset, ut temperatius id quod agebam, agerem, atque ex aliorum more (mihi enim nunquam sic temperare potui, quin ultra stadii sulcum (ut est in proverbio Græcorum) iam tum assilire gestirem) tum denique ille offenditore iam animo fremere, indignari, non obscurissime ferre denique, me vnum habere se deplorata spei filium, in quo tamen non quamlibet olim spem collocasset subsidiū familiaris & imaginum gentis. erat enim iam olim multis honoribus publicisque muneribus iisdemque perpetuis ornatus indulgentia Regum: quos etiam avus meus gesserat. Harum

autem personarum ciuilium, quum mihi vnam (ut fit) veniam
Regis impetrata induisset: quasi eo auctramento abduci a
literarum studio possem, & ad maioris ornamenti spem eri-
gi: sensit se non hominem, sed statuam (ut dicitur) eo fa-
cto titillasse. Id igitur & supradicta quum infensius ali-
quando, quasi in literarum amorem proloqueretur, non mi-
serescere tamen eum sortis meae ut fatalis non poterat, quod
diceret insanii me studii fructum geminum non dubie latu-
rum, patrimonii qualiscunque luculentam tabem, corporisq;
perennem infirmitatem, alias non infelicitet constituti. Hoc
eius ego verbum sero experimento cognoui, non tam irati pa-
rentis dictum, ab indignatione (ut fit) expressum, quam ho-
minis praedictum sagacis & prouidentis fuisse. Nam ut mit-
tam facultates ut in hac sorte mediocres, quae sensim illata
be philtorum deliquerunt alias res omnino me agente, ad
valetudinem insuper profligatam delapsus sum per incuriam
corporis, ac saepe iam conclamatam: ipse adeo mihi met, He-
re, ut Virbius alter esse nonnullisque videar, cui numerum
augere comitatus tui postea contigerit identidem commen-
tis. Quod nunquam profecto facere potuisssem, ni tua me
singularis humanitas quasi Peliam recoxisset. Quidnam ibi
tum ego (arridens Rex inquit) Budae, meministi quid dixe-
rim, quum tu haec palam commemorares? Memini vero
(inquam) Here, atque ita memini, sic mente adhuc teneo, spem
ut inde certam assidue in sinu meo fouerim, magnum tan-
dem specimen edituram liberalitatis istius & beneficentiae,
ad literarum elegantium illustrationem apud nos, ornamen-
tumque sanè literatorum propensa. Et vero te, Here, verbi tui
dicti que memorandi, quod saepe ego studiosorum iuuenii nati-
ni denarrare solitus sum, admonendū fortasse habuisssem, nisi
ultra satis memorem esse intelligeret. Cum enim in geminā il-
lā fraudem capitali non absimile, incidisse me dicarem, quam

DE PHILOLOGIA

mihi euenturam parens meus predixerat, deterre me volens
ab illo literarum amore præcipiti: tua exemplo maiestas (si
tue illa fuit benignitas tua potius) sermonem excipiens, pro-
fari hæc verba non dubitauit, Sarcire quidem nos patrimo-
niū tui iacturam Budæe, ac si ita res tulerit, naufragium faci-
le poterimus: de eoque magnopere te angī veto. quod pater
iratus, tibi ominari visus est hæreditatis (vt aiunt) cynicę dela-
tionem, baculum & manticam. Valetudinis autem affectæ
detrimentum non item nobis promptum est, vt tuarum ta-
bem quam vocasti facultatum. quare id tuæ ipsius curæ me-
diorumque delegamus. quanquam morbus vicenario iam
maior, vt audio, non quamvis manum, sed Pæoniam poscit.
atque eam fortasse quæ ea conferre potest, quæ humanum fa-
stigium excedunt: vt malorum finem, & mentis tranquillita-
tem. cætera te iubemus in vniuersum bono atque alacri ani-
mo esse. Tum ille, Ecquid igitur spes illa Budæe in sinu isto
tandiu cōcalefacta, quamq; domi & militiæ diu & sedulo cir-
cumtulisti, concepuit tandem ipsa, irritaque facta, decollasse
(vt dicitur) tibi visa est aliquando? Decollasse autem? (in-
quam) deus diuīq; omen auertant, Here. Memini enim asse-
cla tibi castrensis cum essem in expeditione Belgica, gradius
cula iam ætate, homo pacis alumnus quietisque domesticæ
noctu sæpe & interdiu ad arma conclamari. me etiam secun-
da interdum, tertiaq; vigilia semisomnem è lecto profilire,
cum quibusdamq; aliis tumultuarí, bellicarum rerum & ipsis
insolentibus: nō nusquam etiam in procinctu satagentem (vt
assoleat) suprema consilia animo agitare. quum interim hæc
ipsa spes nunquam mihi è sinu exciderit: nō armato, non iner-
mī: non accincto, non discincto. vtpote quam toto (vt aiunt)
pectore complexus eram. Et vero nunc eam ipsam ad futuros
visus asseruo. ac tāetsi eius militiæ emerita iā accepi luculēta,
nihilominus tamen æra, nō castrorū illa quidē, sed comitatus

mero, quę iamdiu procedunt vacationem habenti, cum inter honeste & bona cum venia missos, humanitate tua conniuente me ascripserim. nosti enim, Here, causarium me esse cū ab inualetudine, vt dixi, tum vero ab etate iam grauiore, tum ab re oeconomica. & quidem munificem hanc quam usurpo vacationem, non supinam ipsam nec inertem instituisse, quam te mihi tacitam indulisse libens feci vt iudicarem. At vero munus me id à te accepisse, quod nominatim antea in diem incertam depoposceram, (in locum enim primum demoraturi petieram) amplum quidem per se fuit, amplius eō etiam, quod homini mihi nouo delatum. præsto enim erat eoru non nemo qui crescere licendis honoribus cupiunt, digitum tollere paratus, si quis censu olīm equestri eum ipsum indicaret magistratum, quo tua me ornatum liberalitas voluit summa humanitate coniuncta. Noui etiam aliás & certo scio, qui pulmentum illud benignitatis regiae, mihi à te semel defectū (vt aiunt) atque desponsum, aliud agenti præripere, cæca & surda machina nequicquam experti sunt, eadem enim Vulcani coniunx, quæ me in regiam admiserat primū, absenti quoque strenue suffragata est, atque ipso in articulo temporis, & cardine (vt ita loquar) ornandi nostri genii. Illa igitur etsi ampla sunt & sane clara: tamen nihil amplius esse & memorabilius homines honestissimi, rerumq; harum experientissimi existimabant, quām quo exemplo tu id factum concupieras, faciendumque conceptis verbis ac dictatis, pro imperio iusseras. Nam quid maius sperare, quid voto exoptare ingentius sine amentia aut summa vanitate potui, quām vt mihi, inter aulæ tuæ clientes tyroni, decem amplius dierum intinerere ab comitatu tuo agenti, vel domi potius cum meis me amoribus, id est Philologia, procuranti & oblectanti, codicilos Octouiratus prætorianí vtrō mitteres, tanquam stipendia iusta solenniaq; emerito aulicæ obseruantiae? Quibus ad me allatis, nō minore ipse letitia repete perfusus sum, q; ii fere

Solent affici, quibus caducæ hæreditatis nuncius, eiusdemq; locupletis affertur, nihil suspicantibus. Quid quod honoris eximiæ gratia, benignitati tantæ etiam corollarium humanitatis addidisti, sane commemorandum & prædicandum! Quippe epistola ad me missa cum codicillis ipsis Octouiratus in verba cõcepta herilis comitatis, ne quid amplius dicam: quam non inferiora etiam sperare me iubebas, atque suspense alacriter animo tanq; porro meritum ad aliam expectationem esse. Et maior erat reuera fides atque locupletior, quam superiore illo sermone & aliâs prolixè pollicendo, vultu & verbis mihi feceras, vberiorq; modus quem tecum vtq; ipse destinaveras, quasiq; præfinieras liberalitatî regiæ, quam ut uno munificentia impetu, aut in uno capite consumeretur. Beneficentiae enim mihi desponsæ modulos, ad mea etiâ pignora dimanare tute velle videbare, si quando fese illi in medium protulissent, indeque beneficentia regia non indigni apparuissent. quod quatenus & quomodo euenturum sit, prouidentia ipsa viderit. prolixæ enim tuæ voluntatis atq; propensæ prædem habeo locupletem: fidem a te mihi verbo quidem datam, sed vultus festiuitate factam. Quia in re meritissimo tuo deprecanda, si non tam multus, certe pene tam libens esse soleo, quam Marcus olîm Tullius in Nonis suis ~~Sextilib.~~ iactandis & inculcandis, quas alterum natalem suum esse dicebat, & græcè palingenesiæ appellare solitus erat. Hoc à te profectum ornamentum, Here, decusq; (vt ita dicam) impensis in literis temporis, capití meo impositū, mihi quidem ipsum honorificum sanè fuit & festuum. quippe quod turbam statim salutatorum mihi gratulatorumque excitauerit, operam & fortunas (vt fit) urbana comitate prolixe offerentium. Cæterum tibi, Here, tibi inquam Here illustre & fuit, & olîm futurum est, ad benignitatis istius eximiæ commendationem, fideique gentilitiae insignem memoriam, quam tu iurisurandi peculiaris usurpatione nobilitatam

& illustratam, factis quoq; clarissimis sancire voluisti. Res vero ita euenit, diplomatis ut regii cum epistola aduentu, quae per stationarios ipse cursores mittenda mihi mandaras, secundiorum iam rerum omnia magnifica, amici, propinquui, necessarii, & alias familiares, & coram & absenti largiretur: nimirum præterquam quod hominum sermo & augurium, ad auram prosperam & aduersam huc illucq; versatilia esse solent, etiam coniecturam ex tuis moribus ipsi ingenioq; factitantes. Ob eam autem fidem a te mihi, cum accessione splendida (ut dixi) & benignissima praestitam, omnes iam ad quos ea res fando peruenit, quæ clarissima fuit, auream fortunam salute perenni coniunctam, in regiam tuæ maiestatis immigraturam certatim ominabantur, a deoq; exposcebant votis pene cōceptis. adeo popularis ea fuit beneficentia, quam non homini sed literis delatam esse omnes opinabantur. Enimuero id mihi præter multorum opinionem contigit, aulæ quoq; comitū: vtpote quem homines ex comitatu tuo semel abscessisse existimarent. alieno enim tempore & repente apparere tibi proxime mihi omnibusq; solenni, desieram. at diuina primum, deinde tua benignitate res male consulta, commodissime verit. Quod autem ad me attinet, omnia ut euenerūt, ita vel expectatione pene certa ante præsumpta erant, vel augurio (ut fit interdum) lætiore anticipata. In eamq; ipsam spem aut aliam non imparem ipse suspensus eram & diuinitus & humanitus, etiam si intus animum meum subgredientem premebam & continebam. Quæ cum ego dixisse, Rex vultu leniter ridibundo ad circstanteis conuersus, hæc attente auscultanteis, Equidem (inquit) nunc in memoriam redeo, cum Budæus hic Blæsios ad me venit, quod Lugduno profectus paulo ante ieram, amictu nouę personę conspicuus, quam recens induerat, sic enim res ferebat, ut sacramento togatæ militiæ rogatus, in numeros consultorum in vrbe, atq; in nostro comitatu sessum admitteretur. Is igitur cum ad me venerabun-

DE PHILOLOGIA

dus adiisset, supplicesq; gratias ob acceptum honorem illum ageret, memini ipsum ita mihi dicere, se honorem quidem acceptum plurimo, ut erat, aestimare: sic autem a se acceptum, & a nobis vltro domum sibi delatum, quam plurimo. Ceterum tu Budęe meministin' (inquit Rex ad me reflexus) quid tibi tum respoderim. Comemini vero (inquam) Here, & sepe commemorare libenterq; soleo. dixisti autem, non mea tantum causa fidem ita mihi præstandam, sed tua etiam te duxisse. eiusmodi enim pollicitationem fuisse, quam non mihi magis quam tibi metipsi ac regiae maiestati, debere te arbitrabare. Quam ob causam nec a me nec a quoquam ea de representari sustinuisse, sed primo quoq; tempore representandam eam existimasse. Cuius etiam dicti tui interpretationem meam esse, omniumq; volebas, ad quorum aures aliquando id peruenisset. Verū heus tu (inquit) Budae, quænam te tanta fiducia ad eam expectationem erexerat, cum venia abeundi non impetrata, atq; etiam tibi a me pernegata, è comitatu nostro te furtim subduxisses? Qua culpa a te admissa, si tecum lege agere, ac summo utriusque voluisse, quid te tandem hominum iudicio factum esset? age, fac ut ex reis ob hanc culpam aut causa quædam speciosa, aut clementia te nostra eximeret: ære certe dirutus essem annuo, & è numeris expunctus stipendia facietum: ignominiaq; notatus insuper abiisses, ut desertor apparituræ. Etenim quid erat aliud è conuentu prætoriano exceedere cōtra interdictum nostrum, quam veluti salute vltimum nobis dicta, augendæ rei tuæ, larisq; familiaris exornandi, incuriam contemptumq; consciiscere? Spiritus illos (ut opinor) alacres, aliqua offensione aulica perturbatus abieceras, homo utiq; aulicis in rebus non sat satis experiens & strenuus. Hic ego conscientia percussus & obstrictus, cum aestuare coepisse, aliquandiuq; hæsitare, subinde ita respondi, Equidē Here, si hanc ansam reprehensionis præcidere cupiens, quam in me non tibi modo ipsi, (cui ius in caput meū,

& in fortunas diuinitus datum est) sed compluribus aliis de-
di , qui improbare tantum verbo factum id meum possunt,
quipiam excusare occpero : vereor ne in aliquam plagam
inextricabile me induam. forsan enim parum speciosum vide-
bitur colorisq; non probabilis, quod in medium afferā . Nā
si interuisendæ tantisper Philologiæ meæ causa, id consiliū ce-
pisse me dixerō, cuius desiderio omnino iam impar eram: &
vt aliquot mensium vsu interpoliq; contubernio, familiarita-
tem illam nostram, arctamq; (vt nosti) necessitudinem denuo
conglutinarem, metuo ne imperitum tute me arbitrere tem-
porum occasionumq; aucupem: qui retia tum collegerim, bi-
ennium totum expansa, cum præda luculenta capitū meo im-
penderet. Id quod me ignorasse excusare non queo. qui antè
quām è comitatu digrederer, eum demoriturum suspicari de-
buī, in cuius locum suffectus sum , cum graui illum morbo
correptum esse constaret: & in eum ipse euentum nossem esse
mihi certo despōsam prouinciam. Si quid igitur huiusmodi
excusare institero , id in me protinus vtq; valiturū est, quod
prouerbialiter aiunt, dum ansulatum hūc nexum & ductile
dīgitis esse censeret, nodosius temetipsum imperitia & erro-
re obligasti. Potius est igitur(vt arbitror)& culpam agno-
scere & multam deprecari. Quin & si mihi cauſificator nūc
quipiam præsto sit solertissimus , qui velut tragicus (vt
aiunt)deus, ex hoc æstu me eripere possit, excusationesq; alii
as atq; alias mihi, quasi pragmaticus iura cauſidico imperi-
to , subministrare, vt ego Here sane ea occasione nolim:nec
quicquam apud te aut alium quempiam cauſari sustineam,
quamobrem id me admisisse nō fatear, quod inficiari non im-
pudenter nequeo . Neq; vero libens alioqui facereim, vt mu-
nificentia tuæ atq; humanitatis magnitudinem claritatemq;
imminuerem: quod hominis esset inepti, nec satis gratam be-
neficii accepti memoriam habere se significantis. Id est autē
huiuscemodi , sicq; à me tibi acceptum referri debet , atque

DE PHILOLOGIA

commemorari, ut quod numeris omnibus beneficentiae elegantis & decoræ, & porro appositæ danti & accipienti constitit, siquidem ineunda eius ratione calculi vtrinque plene ponantur, & scite subducantur. Sed enim Here, quanquam inconsultius furtiuo illo excessu de ratione mea statuisse me post aliquot dies animaduerti, non tamen statim mihi ignauum & socors exilium à comitatu tuo consiscendum esse censui. magnam enim spem veniae in clæmentia tua collocaueram, vel in humanitatis potius singularis connuentia: quæ erroris quoque confessionem cōdonare ferè & remittere lapsis vna cum animaduersione solet. quod genus liberalitatis mihi videtur esse candidissimum & generosissimum. Recordabar etiam obstrictam tuam fidem me habere, obsidem expectationis meæ, non illam modo communem ordinis gentilitiæ, quam tu peculiari iure iurando (ut suprà dixi) nobilitatis imaginibus condecorasti, aureorumque (ut ita dicam) annulorum iure donasti: sed sanctiorem illam fidem & augustam, seriis rebus seuerisque dedicatam, qua tute eas sancire sponsiones solitus es, quarum fiduciā certam esse iubes, atque expectationem nec anxiam nec sollicitam. Huiusce fidei pignus, & si verbis mihi dederas nequaquam conceptis in iurifurandi formulâ, tamen rata pollicentis speciem, vultumque eum præ se maiestas ista tulerat, chirographi ut loco numeroque ducere id debarem. Accedebat augurium ex genio frontis tuæ, mihi intērim semper ita festiuæ: sic spei meæ confirmaticis, ut expromissoris instar eam ipse ducerem tum locupletis, tum quotidie denuo constituentis quod semel sponsum erat, nec tamen stipulatum. Verum enīmuero, Here, cum honoris literarum causa fecisse ab omnibus existimeris, ut ornamento me non uno, sed altero iam ita cohonestaris, ut paria propemodum vtriusque commoda sint: alterum, non modo vltra mihi nec copiante, sed etiam primo dederis, additoque elogio, ut suprà dictum officiū mei esse duxi, quando ipse abstuleram à te quæ

optaueram, in communē iam causam incumbere, ac de me cōquiescere, cum me spontē meā reddiderim bona (vt spero) tua venia optimāq; condicione. Itaq; quod nunc & aliās à te contendendum suscepī, literarum vt bonarum existimatiōnem, iacentem nunc & prostratam in regno tuo, alleues & erigas, non eam mīhi metip̄i operam me nauare, sed cunctis iis cōtestor & profiteor, qui ad tutelam earum atq; patrocinium nomina iam dederunt, in posterumq; certatim daturi sunt. Querelam autem & postulata ad maiestatem tuā ea defero, quę sine ignominioso prēuaricationis crīmīne, nō recipere ad me delata, non potuī, cum eam mīhi personam benignitatem tuam imposuisse, Aius ille Locutius, tacente me, vel reclamāte potius, per uulgauerit. Quænā sunt ea tandem querimonia & postulatum: inquit. Vtrum ex eo genere quod cognitionis est Octouiratus tui, an alterius cuiusdam generis, & cognitionis maioris, quæ præfatione ista quasi sollicita egeat? Eget vero Here (inquam) non præfatione modo, sed & oratione iusta, & peroratione diserta atque etiā eloquenti: si quidem causidicum tam facundum ipsa, quā in fidū facta esset. Quod quoniā non contigit, id quod in promptu fuit non respuit. ad eum se cōtulit, quem gratiosum satis, & iucundum ad tribunal tuā benignitatis esse arbitrabatur: tum quidem certe, exponendī locum, horamq; obtinentem, cum huic generi postulatorū operam dare tibi vacat & libitum est, quod frequenter euenit. Nēpe eiusmodi (inquit Rex) quæ ad te nō Octovirūm & supplicum libellorum præfectum, sed bibliothecæ nostræ scriniorum magistrum, (quod alterum est munus tuum & prīmi vt dixisti:) deferri solent, vel ad Budæum ipsum purum potius & vacuū omnī persona. Purū vero Here (inquam) Budæum, atq; etiam putum, vt verbo antiquo, id quod facile iudicaueris, quum rem ipsam indicante me, non eloquente, nec acrius exaggerante cognoris. neq; enim est hic locus vehementius rem augendi, ne exordiūm quidem vten-

dum rogabo ab ipsa eloquētia, quod superuacaneum esse censui, cum apud te æquum (vt spero) iudicem huic causæ & attentum, verba mihi facienda sint. Rem ipsam statim exponā.

Queritur autem chorus ille disciplinarum ingenuarum atq; liberalium, quem Græci eruditioñis orbem patrio verbo appellauerunt, non eodem se numero, non pari loco vniversum haberí, quo singulæ artes longe illiberaliores habentur. Iam primum medicinæ professores, artis quidem mortalibus cōmodæ & vtilis, sed tamen quæstuarix, apud omneis ordines ferè gratiosi sunt. Theologia quasi morum censura, verendos & honoratos sui studiosos efficit. cuius studii doctura, populi magisterium defert ad multos non peritissimos hominum. Iuris vel prudentes vel versuti interpretes, causarum disceptandarum artifices, litium confarcinatores, quos Græci σοφοφος appellant, præter honores supra commoda, que multa ex publico à singulisq; accipiunt, in hanc etiam auctoritatem venerunt, id sibi ius omnium consensu, moribus quidem certè nostris & multorū, asserūt, vnicuiq; vt hominū inerim, quâ principi, quâ priuato cōstituant suis responsis, cōsultis & decretis: quid sui habere, quid alieni: quid sacri, quid religiosi: quid iure, quid iniuria, quibus deniq; finibus, quo iure, quatenusq; videatur. id quod meri, pleni, iusti imperii cōspicuum in star habet, latissimè patentis quoquo versum in capita fortunasq; mortalium, atq; etiā in nomina, in bona iam diuorū. Quum interim (si diuis ipsiis placet) pontificiū iuris professio pomœria quedam effata sua ditioni circundederit, angustiora quidem illa, sed non minus superba, altèq; minantia. At orbicularis ipsa doctrina omneis numeros professionis complexa, omnium scientiarum elementa rationesq; commētans, earum etiam disceptatrix honorariaq; arbitra, quam Pedium Græci, nomine parum ambitioso, nos literarum sciētiām vocamus: ex adytis quidem ipsa sanctioribus, ex editis tribunibus, è curiis, è consiliis, è conuentibus iuridicis, è conciliis

panegyricis, iamdiu summota est, & velut quædā rhapsodia, inter ea censetur acroamata, quæ animi tatum causa in ocio queritur. O multa Here absurde, o indignæ quædam & pre postere moribus cōparata. Cæteris artibus legitimū tempus ad magisteria sui generis adipiscenda cōstitutum est, & tanq ad clepsydram dīmēsum contētōnis spatiū: at studiō literarum elegantiū tot lustra nō sufficiūt, quot anni singulis aliarum attributi sunt. Nam etiā huius studiū magisteriū, sapientia dīcta est antiquitus, prīncepsq̄ philosophia: quo nomine meritissimo (vt tēporibus illis) īdito, nullū nec amplius nec augustius excogitari potest. Hāc īdignitatē, Here, quo quātosq̄ Democritos passim nobis, nostratibusq̄ adeo omnibus excitasse cēses, homines acutissimos ac rerū perspicientes, vt recti prauiq̄ dīscrimen īgnoratibus. Memini vero, cū primū à te accersitus sum, inter alia hoc tede me percūctatū esse. Cūnam maximè dīsciplinæ studerē, & quo nomine studiū id vocarē quo ardere dīctabar: ipsum aut aliquandiu addubitasse, deinde ī hanc sentētiā respōdisse, Vīā dīscēdī me īgressum esse nō leniter acclīue, duabus velut orbitis cīctā, quas duas līnguas esse dīcebā omnium līnguarum celeberrimas. Hasq̄ duas orbitas varia dīcebā habere diuerticula: quibus ī ipsis per illustria īterdū & plana expatiari, īterdū per opaca & salebrosa necesse esset, iis dūtaxat qui ad duo iuga mōtis euadere constitūssent. In his porrò iugis prīscē sapientiæ gazas, quarū philosophia īdagatrix est, & admiratrix, conditas esse dicebā doctorū hominū opinione: iis omnibus īacessas, qui fallacia dīscēdī deuiaq̄ cōpēdia capessenda cēsuissent & cōscētāda. Cūq̄ me Here vrgeres, scitē & appositē repetita percūctatione, vt huic siue dīsciplinę, siue studiō, ī qđ īcubuisse vhemēter dicerer, nomen suū attribuerē, quo significari posset atq̄ ab aliis artib⁹ īternoscí. neq̄ em nefas esse aiebas hodie nomina dīsciplinarū vera pdere, vt olīm fuisse vrbis Romæ fama est, nec ineffabilē artē vllā vītē īnotuisse, ne maleficam quidē, Ibi ego velut dephēsus & aliquātisp̄ cōstuās, porrò farī

non audebam, quoad regiae frontis hilaritate festiva confirmatus, periclitari iudicium tuum, magnopere iam tum celebre, ac fando mihi saepe auditum, constitui. Equidem inquam, Here, nec sapientiae studium nobis id appellandum esse duxerim, quam oracula sacrosancta insipientiam appellant: nec primae philosophiae, quod nomen mea quidem sententia iam desponsum est diuinorum rerum studio & cultui. Itaque non alio vocabulo utar, quam quo a peritis vocari passim coepit, bonarum hoc literarum studiu Here meritò, nisi fallor, appositeque appellatur. Ut enim prisci Romani deam quandam delegerunt ex illa vi innumera commentitorum numinum, quam bonam illi deam, Graeci muliebrem nuncupauerunt, veluti castitatis praesidem & custodem: sic literae, laute, & elegantes, & per politae eruditioris magistræ, bonæ appellatae sunt: nimis quo nomine sine fuso & illecebra inani, omnia summa significatur atque commodissima. Hæc tum ferè inter nos, Here, nisi memoria lapsus sum. Mihi videtur, inquit. At vero, inquam, Here, peruelim ipse & optarim, in animum ut inducas, studio in Francia ignobili, ac pene adhuc ignoto, ut quidem est sensus multitudinis, nomen aliquod iam indere, quod claritatem literis splendoribus conciliet, quando bonitatis significatio frigere nunc prohibetur apud homines frugalitatis amantissimos. Nam cū in tuum principatum literarum bonarum studiu apud tuos incurrit, ipsæque literæ impietatis seruitutem pretexere, seruire iam religioni rectæ, transcribique in familiam christianæ sapientiae gestiant, operæ utique precium, Here, facturus es, si vnicus tute arbiter initialis huius sacramenti, nomen eorum studio prodas: ut assolent nomen prodere ii qui manus officiosas terni moribus nostris homines mares atque foeminae adhibebit ad sanctificum fontem, mystico parente homunculos intingente ad alteram genituram, quæ ~~ταλιπεντια~~, dicta est. Id quod si tibi cordi erit, obsecro te & obtestor per tuæ maiestatis genium, ut fausto, felici, fortunato, digno denique te nomine, nedum

Regis auctoritate, id studiū nuncupes. Nam cum inditi à te
nominis omen omniū ordinū sensus haud dubie secuturus sit,
literas non tantum ipsi bonas, sed fortunatas quoq; colere vi-
debimur. Tú Rex subridens, Nō enim uero (inquit) Budæe,
id temere facturus sum: nō (inqua) id faciam, nisi prius à te ca-
uero, nemine eo nomine acturu mecum de tutela, alimentisq;
istarū literarum, quarū tu me initialem nominis proditorē es
se postulas atq; nominatore. Est enim ita (vt audio) moribus
comparatum, si aut infantibus, aut pueris, aut etiam iam ma-
iusculis egentibus esse contigerit, vel parētibus propinquisq;
destitutis, vt honoraria quedā actio ad eorum nutrificationem
in eos prodita sit, qui in christianissimi tyrocinio, & dum aqua
lustrali perfunderetur, arbitri & aduocati, in sacroq; cōtractu
stipulatores affuerūt. Quid igitur futurū est, si simul vt nomē
quale tu postulas indidero, tu aut aliis quispia vestri ordinis,
lege aut more mecum agere institerit: atq; eatenus agere, vt na-
talibus (sic enim dicam) literarū bonarum, quibus tu tot asse-
clas artes, tantū comitatum tribuis, educationisq; tēpus nul-
lo fine præstituis, pro dignitate quoq; alimenterū constitutio
respondeat: scilicet hoc illud est, idq; agere te video, vt parés
ego sim ac dictiter literarū, cū illę sint mihi numero ac loco fi-
liolarū. Quāq; id ego facile fortasse admittere, nisi simul atq;
filiole illæ agnitæ à me fuissent vt parēte, continuo alumnae
quoq; regiē futurę essent magnis cū impediis. Quod etiā si tí-
bi aut alii stipulatori publico & cautori, hoc à me cōtendēti,
annuerim, ecce tibi alter, aut idē rursus, simul ut quę nūc infā-
tes sunt literę, adoleuerint, quí mecum ob collocadas easdē nu-
ptui luculēto & illustrī, experiatur: quí mūdum etiā fortasse
muliebrē, quí alia atq; alia (vt fit) postulet. Hęc aut quā tādē
accessiōne expēsorū, quātā paginā pensitationū allatura sunt
rationario regni nostri? Ne id quidē modo (inqua) Here, sed
etiā quí tecū iā agat ex spōso ob locū incunabulorū ipsarū li-
terarum, & diuersiorum Pædiæ, quæ aut genitrix est ipsa, aut

DE PHILOLOGIA

certe altrix earum. Isq; memoriam tuam atq; cōscientiam tibi
bimetiſi iudicem ferat nedum arbitrā: testimonium etiam tibi
apud te denunciet: deniq; sacramento tecum contendat , ac
sponsionē nomīne publico faciat,nī tu palām,iterumq; & ter-
tūm pronunciāris,id quod meminisse te cum satis norim,cō-
memorare necesse non habeo.Cæterum hanc hirudinē abū-
danti ærario admouisse haud dubie iuuabit in posterum,quæ
& modice sorbere & salubriter solet: nec vero ægrè exempti-
lis esse,cum ita res forte tulerit: non vt aliae permultæ , quæ
auelli citra mortem nequeunt,dente intus affixo. Ecce autē
Rex inquit.deinde paulum immoratus,& deliberantī similis,
De eo vero Budæ mox viderimus , vel prima quaq; occasio-
ne potius,quandoquidem tu mecum tanta causæ fiducia iam
agis.fuit enim si recte commeministi,pronunciatū illud tam
et si purum,non tamen præsentariū,sed quod in primū quodq;
tempus conceptum esse videatur.Neq; dum vero satis literæ
istæ bonæ se mihi suasq; facultates approbauerunt , vt sciam
quibus finibus architectari illa earum incunabula debeā, vel
theatrum potius Pediæ vestræ,in eoq; orchestrām chorū disci-
plinarum , vt tu aliquando inter sermonem de literis dixisti:
quibus modulis admetiri frumentum stipendia illic meren-
tibus:quæ emerita , quantaq; statuere post missionem hone-
stam.Per me tamen interim dum splendidius nomen meditor,
aut etiam appositius,licebit literæ vt bonæ appellantur:regii
quoq; placiti auctoritate,nomine (vt mihi videtur) vobis nō
pœnitendo.siquidem(ut tu aiebas)ad locupletissimum illud
priscæ sapientiæ gazophylacium deducere ipse studiosum ho-
mīnē possunt.Nam & vitam ciuilem antiquorum inuentis ac
præceptis temperata esse videimus & exornatam , mores etiā
inde compositos , omnis deniq; differendi eloquendiq; facul-
tas,omnesq; adeo artes, quibus homines erudiuntur,originē
suam & primordia,ad priscam,vt vos dicitis, sapientiā refer-
re non grauantur.Verum vt aperte dicam,quod suspicor,vel

verius quod mihi in mentem te haec differente venit, literarum ista bonarum venditatio ex vaniloquentia non nihil (ut parcissime loquar) haurire videri potest. Quam enim tandem eam professionem esse oportet, quod superbam, quam impotentem sui & alieni, quae nullis finibus ius suum cognitionemque suam terminavit, quae velut quaedam artium regina præpotens, vestigiales cæteras artes sibi, & tanquam clientulas in fide sua semper esse dicitur? Vide igitur, vide inquit Budæ, ne si illæ scientiae, quibus supra dixisti studiorum suorum fructum veterius constare, controversiam sui isti vestrae grandiloquæ, artium ut perhibetis & scientiarum dominæ facere institerint, clientelamque abnuere, vos deinde hominum iudicio inane nomen bonitatis studiosissime colere amplectique videamini.

Enimuero (inquit) Here, non magnopere mirum est tibi id in mentem venisse, qui ex sensu institutoque nostræ auorum & longè superioris memoriarum, iura & fines studiorum metiaris: quod multo maxima pars hominum facit, eorum quoque qui docti esse vulgo existimantur. At vero nos eloquentię studiū, quod præcipue consequuntur homines literarum bonarum cupientes, finibus antiquis complecti instituimus, qui laxissimi fuerunt: ut qui diuinarum humanarumque rerum cognitione & prudenteriam ambitu suo cingant: etates autem recentiores sua iam & veluti propria peculiariaque tractare volentes, velut societas ipsas pertesum esset, communī diuidendo arbitros delegarunt, haud scio an pusillos metatores & imperitos. Quorum arbitratu factū est, illos ut in campos vetustissimæ sapientiae, incuria & inertia ad fines regūdos missæ sint, indignitate, ut mihi quidē videtur, non absimili, atque si clarissimus aliquis poterat in plura imperiola obscuraque tribueretur successorum ignauia, qui cum impares se sentirent ob socordiam vniuerso imperio obtinendo, in suis ipsis modulis ignauè acquiescere instituissent. Ita multipartito diuisa est vna illa amplaque professio philosophiae, quae parens prima fuit altrixque eloquentiae:

cuīus æquales fuerunt homīnes illī doctissimī, quī quæstionē poscere (vt dicitur) in conuentībus amplissimis non verebātur, cum res ita tulerat: parati de re quacunq; differere expli-
cate atq; facunde, quam quis in medium attulisset. tametsi eo potissimum nomīne professioni sapientiæ inclarescere non contigit: quæ suarum facultatum copias exponere decēter & composite, non venditare dīdīcīt & ostentare. Huiuscemodi autem sapiētiæ, cuīus nos maiestatem colimus & veneramur, ne aut commentitiā esse exempla, aut de medio sublata dice-
re isti possint, extant Aristotelis monumenta, in quibus ma-
gnitudinem eius sapientiæ intueri effigiemq; līcet: illam vero & in Platonicis expressam & eminentem. hī duo autem præci-
pue philosophi, eorumq; familiæ, finium regundorū arbitros nunquam adeudos audiendos q; duxerunt. Ne Marcus qui-
dem ille Tullius eloquentiæ non tam parens vt appellatur, quām filius & alumnus, ac pene Græcorū glorię hēres apud nos solus relīctus: eiusdemq; classis, non tam ipsi Tullio pro-
ximi quām secundi, ciues illī Romani, eloquentia quoq; nobī-
les, orbīs disciplinaris sectionem, minutamq; illam concisio-
nem probauerūt. breuioribus vero partibus orbem doctrinæ coagmentandum sibi ad vitam cūlīter agēdam, merito exi-
stīmarunt. quod nobis (vt censeo) imitandum est pro cuiusq; nostrum captu & īstituto vita. Nosse etiā vnumquenq; se oportet. nec enim si heroīca gestamina aut exuīas consecra-
tas, viſendas interdum esse ducīmus: etiā nobis aptandas es-
se aut tractandas arbitramur, sed tantum attingendas. Hodie autem post constitutam religionem, post natales germanę ve-
ritatis agnitos & receptos, philosophiæ primæ nomen atque sapientiæ dīcadūt esse opinor sacrosanctæ philosophiæ, quā
vitæ pædagogum prouidentiā & mystagogum dedit: cuīus quidem certe fundamenta iacta sint in orbe sāpe dīcto disci-
plinarum, quas ingenuas vocāt. Quem orbem qui aut ample-
cti aut ambire certe grauantur, superficiarii sint ipsi sapientes

ac theologi necesse est, nulloque doctrinæ fundamento nitentes. Neque enim mea quidem sententia illius sinuosissimæ sapientiae tam multiplices, tam Dædaleæ figuræ, totius vim naturæ arcanaque abdita tanquam allegoriæ supellectilem complectentes, syluamque symbolicam, percipi satis possunt, prius quam illum (vt ita dicam) cinnum priscæ philosophiæ discipuli ipsius sapientiae hauserunt, ex mixtura expressum & confusum omnium disciplinarum. At summa diligentia, assidua lectione & diuturna opus est, ingenioque nō quolibet, vt ex universa lectione, non ex singulis modo orbis partibus, atque ex literatura plena, iusta, & proba, existat illa sapientia. At vero eloquentia claris natalibus orta, præcipue seruire tam ample commentationi debet, reique summa veneratione dignæ: atque ita seruire, vt fines suos pro cuiuscque captu ingeniique facultatibus extendat quām fieri potest maxime: duntaxat quantū rerum antipathia, vt Græci vocant, non refragatur, quæ est disidentium inter se rerum pugna & collisio. Nam cum olim rerum publicarum magnorumque imperiorū domina fuerit ipsa & gubernatrix eloquentia, nunc vero à gubernaculis reiecta sit (è concionibus enim & foris, à capitalibus periculis, controversisque ciuilibus summota est: in quibus olim ornatus suos ingenteis, vestemque splendidam venditabat, & expandebat, omnium oculos præstringentem). Verum cum hodierno tempore à publicis ipsa actionibus feriata sit, vbinam potius & clarius quām circa sacra monumenta versabitur, quasique in arce Palladia commentabitur? Nimirū vt video Rex Budæe inquit, tuam istam eloquentiam, cum suo quasi mūdo matronali, lauto, nítido, & fulgēti, ad sacrosanctam philosophiā, ab ipsa (vt plerique arbitrantur) abhorrentem, quasi ad aram inuiolabilem asylumque deportasti, metuens illi fortasse ab illicis superciliosarum disciplinarum magistris, qui censoria auctoritate compellare vos, venusti & elegantis sermonis amatores & patronos, ad populum solent, & ad primarios ordi-

nes. Quin & ista, quam tu Philologiam vocas, quæ intra sua
veluti pomceria omneis penè scientias non sine suspicione cu-
riosæ auiditatis, conclusit, quantu ex te modo audiui, inuidia
vobis non cōtemnēda nuper flagrare cœpit, vt fama est, qua-
si receptæ & fixæ iamdiu religionis labefactatrix, errorumq;
multorum institrix prouinciatim & adornatrix. Quæ inui-
dia nisi quamprimum opprimatur, in magnum fortasse in-
cendium euasura, nomenq; literarum bonarum (vt iam ver-
bis vestris utar) prorsus deletura est. Siquidē Here (inquā)
cum eiusmodi calumnias aduersus honestissima literarū stu-
dia magnō sudore isti proferunt, fidē apud tuam maiestatē
hominesq; rerū peritos atq; ingeniosos, vt apud imperitā ple-
bē faciunt: nec calumnię plane manifesti sunt, charitatē euan-
gelicę per lineā (vt aiūt) dīmetientē opposite. Qua de re quid
sentiam, non necesse nunc habeo hic dicere: cum alioquin ea
ob rem nō magnopere (vt reor) angere nos debeamus, quod
quidem ad te attinet. cuius iudicii acrimoniam cum animad-
uersam habeamus & perspectam, nobis vtiq; non verendum
est, ne literæ bonæ indicta causa pro potestate damnetur, isto-
rumq; coitione tumultuosa è numero disciplinarum conni-
uente regia maiestate circumscribantur. Quod cum Rex mihi
annūsse oris serenitate videretur, tum deniq; velut spe no-
ua recreatus, Sed enim Here (inquam) cum dicendi facultas
quam eloquentiam vocant, ars vna sit omnium temporum &
locorum: cum etiam in ciuilibus actibus publicisq; rerum
administrationibus, ingentem ac multiplicem usum praesta-
re possit, si moribus recte res esset publica atq; ordine admis-
trata: nimirum ipsa antiquissimo quoq; loco, in consiliis, in
curiis, in senatibus, in conuentibus & statis & extra ordinem
indictis, sententiam rogaretur, vltro etiam ipsa princeps iure
suo censeret. ea deniq; eloqui exordiente, fauere omnes lin-
guis non grauarentur, auresq; expurgare & erigere ad audi-
endum, in eius sententiam partim pedibus consulti homines

discederent, partim voce ipsi assentirentur, postremo in eius
verba senatus consulta fierent, leges & sanctiones perscribe-
rentur. Iam vero legationes apud exteris gentes maximis de
rebus obire composite, appositè & efficaciter, quis sine comi-
tatu eius possit, vel ea potius non preueunte? Quis cohonestar-
e patriam & illustrare iuxta peregrinè atq; domi? Age, quid
si etiam reges & principes viros, egregie de patria singulisq;
meritos, immortalitate donare sola potest, atq; inter diuos
propemodum cœlitesq; referre: quo nihil amplius in rebus
humanis exoptatiusq; censemur. Iam bellorum incendia, sedi-
tionum flamas, nonne haec eadem restinguere nouit eloquē-
tia? rursus cum opus est, & reipublicæ interest, inerteis homi-
nes ac pacis alumnos, ad aras focosq; tuédos, aut ad iura sua
ferro, flamma, omni ope repetenda, extimulare & accendere?
ad summam non aqua & ignis maiorem usum & commodio-
rem in re priuata præstant, quām ipsa præstare potest in repu-
blica eloquentia. Hic circunfusam turbam Rex intuens ri-
dibūdam, quasi in vaniloquétiam præ impetu & ferore exar-
sissem, Equidē (inquit) expectabam, ut eloquentia ab Aescu-
lapio artem mutuata, quem medicina deum sibi quodam ad-
optauit, mortuos exuscitaret: quæ cum omnibus è disciplinis
coagmentata sit, si Budæo credimus, infinitam quoq; viu ut
habeat vtiq; consequens est. Quod si mihi planè tandem ipse,
diuæ eloquentiæ numine tantisper instinctus, persuaserit, cau-
sam (ut opinor) haud dicturus sum, quin literæ ipsæ quarum
beneficio haec facultas tam vtilis, tam commoda, tantarumq;
rerum conficiens paratur, non iam literæ bonæ, sed optimæ
nuncupetur, quod hactenus dicere supersedi. Atqui (inqua)
Here, quod de mortuis exuscitandis dixisti, alias fortasse vi-
derimus, si in eum sermonem opportune incurserimus: nunc
autem perfecturum me spero, non modo, ut literæ quæ nunc
mentes ingenuas exercent, quæq; iam pridem exercuerunt,
optimæ & voce tua & tua maiestatis auspiciis appellantur,

DE PHILOLOGIA

sed etiam ut maximæ. Cuius appellationis honorem antiqua superstítio Iouí suo consecrauit ut amplissimam: sed ita, ut prius Iouem ipsum optimum vocauerit quām maximum: maius esse significantes (ut Marcus inquit Tullius) optimum esse, hoc est beneficentissimum, quām summa potestate præditum. Perge igitur (inquit) qua cœpisti, quoniā auscultatore me non minus æquo quām attento usurus es, atque etiam clare plausuro, si quidem in fabulæ clausula non hæseris. hoc tantum receptum mihi volo, ut tam mihi percunctatore, cum ita videbitur, quām auditorem esse per te liceat: ita ut eam ob rem ne conturberis, si omnia tibi non assenseris. Enim uero, inquam, Here, hanc infinitam eloquentiæ vim dicendiq; facultatis potentiam, veteres illi sapientes per Mercurium significauerūt: quem vterq; Homerus ad superos identidem inferosq; commeantem finxit, & vtrō ierit ipse cunq;, aditum sibi liberum & patentem, redditumq; præstruente ad cœlum animas quasdam euehentem humanas, ad orcum vicissim alias deducentem: tum homines consopientem quos velit, & rursus excitantem quos libuerit cunq;. Quantumq; inter nūmina patere potentiam Hecates antiqui poetæ prodiderunt, (quam vnam Hesiodus tatum honoris & præstantiæ sortitam esse dixit, quantum vniuersam cœli & terræ progeniem) tantumdem eloquentiæ inter cæteras disciplinas patet facultas & amplitudo, cum eam prisci esse voluerint herebo cœloq; (ut ait ille) potentem. Num quid igitur causæ est Budæe (Rex inquit,) si tanta hæc facultas visq; adeo, humana illa quidem, sed tamen propè diuina (siquidem vera sunt illa quæ tu de ea nunc magna cum asseueratione dixisti,) in hominem improbum prauæq; mentis inciderit, quin cœlum ac terras (ut dicitur) miscere ipsa possit, & summa imis æquare? Ita Philologia tua, quam inhi ut potentissimam, sic optimam, & præstare. & probare ex pacto te oportet, idq; meo arbitratu, rurus in illam inuidiæ flaminam revoluitur, quam ii homines

quos supra diximus, vobis excitare non sine colore luculento speciosoq; conatur, ex qua eretissime quoquomodo ipsa te dicente videbatur. Neque hic tamen attingo, quod aliquando tibi obieci, cū tu eloquentię regnū & potentatū magnopere immunitum fuisse dices, ex quo in foro iudiciale specimen sui facere desissem. Mihi enim videri respondi, Eloquentiam ipsam quam tu (ut opinor) velut exarimatam vocabas, & umbratim, longe capitaliorem esse factam: quippe quæ olim reorū patrocinia libentius atq; popularius quam delationes suscipieret reorumq; damnationes, hodierno autem tempore hominum passim existimationis carnifexesse cœpisset. Tanta etiam contentione (ut fama est) nullo vt alio argumento quidam eius studiosissimi, ingenium commendare suum proferreq; niterentur: non acumine figurarum, non troporum integumentis & venustate gaudentes, sed quō vulnificantius eloquentes sint, nominatissimum quenq; hominum, & summum quodq; caput, integrum iuxta ignominiaq; aspersum, ora deniq; aduersa ac iugulos petentes, quo quid inuidiosius literis esse potest non pridem vt dicitis restitutis? At vero (inquit) Hec, vnu hoc fuit semper eritq; in infinita hac potentia eloquentię caustum atq; receptum, ne res præclarissima decusq; humanitatis (duntaxat quod ad immortalitatis munia pertinet) sit maxima mentis organum. Quippe veteres illos & si veritatis ignoros germanæq; sapientiæ, puduit tamen virum malum quemquam eloquentiem esse fateri: neq; eloquentem hominem esse posse dixerunt, qui non idem vir bonus esset: adeo rem honestissimam atq; commendabilissimam, vsu indecoro obsolescere deus & natura noluerunt, mortalibusq; pestifero. Neque enim Herculis virtutē natura Sisypho accommodauit, quā ad iuuandos mortales comparauerat. neq; Pitho sedere in labris eius potest, qui corde vitioso sit. & vt philosophiam ^{ad} spiro, vt Græci dicunt, id est morum informatricem esse operet, si nomen suum tueri vult & dignitatem: sic morata vt sit

eloquentia necesse est, quae alumna est philosophie. Dicendi autem facultas, qua homines quidam malis omni aetate usi sunt ad res malas & scelestas, in scenam, ut ita dicam, in medium producendas, aut longis interuallis reducendas, non eloquentia est illa quidem quae tum efficacem vim habet tum perpetuam: sed versutiloquentia potius, quae tum denique fallere definit, cum color & fucus illitus exoleuit. Quare falso crimine eloquentia ab istis hodie arcessitur, quasi patrona & assertrix peruersarum opinionum olimque explosarum: quod non minus habet ipsum imperitiæ quam calumniæ. Quid enim sit eloquentia homines infantissimos ignorare, non magnopere mirandum est aut indignandum. Alteri autem criminis si responderem cœpero, vereor ne vucus sit (ut aiunt) quod attigerit. usque adeo ea parte nostra causa laborat, quasi diro quodam & febro malo. Discordia quam Græci Eridem vocant, in deorum olim conuiuio malum illud aureum misisse dicitur: vnde inter deas contentio Paride disceptatore orta est: haud ita pridem exitiabilior quedam noxa, liuoris stygii virus in hominum quorundam doctorum præcordia inspirauit, ex quo literæ male audire apud multos non dubie cœperunt. nam quasi materia iucundiore consumpta ingeniorum preferendi, compellandi ipsi quos oderint, obtrectandi aperte, lacescentibusque rescriptitandi, argumenta comminiscuntur indies alia atque alia. Quam ob causam, & si maximè pridem typographorum officinæ visabantur, nunc tamen ut obsoleta acroamata iam minus atque minus vedibilia esse dicuntur. Mihi vero aliquando experienti (ut apud te ingenuè fatear Here) id malum tam si acre, tamen non ingratum visum est, quandiu quidem certe tumebant præcordia: pudendum autem ipsum deinde & pigidem cum tumor resederat. Quare felices quosdam esse iudico homines doctissimos, quibus integris & puris ab hac peste, ad extremum esse contigit. quam pestem Achilles, ut diram & capitalem animorum contentionem, apud sapientem

tissimum poetarum execrans, velut sera resipiscētia extimulatus, dulciorē melle aīt esse, in hominūq; iratorum pectōribus quasi sumū gliscere ac glomerari. Absit igitur ne hominū vitium in crimen vertatur eloquentiæ, siue obloquen-
tia est illa quædam potius, quæ animam in vulnere, nō etiam persuasionis aculeum, in auribus linquere consueuit audien-
tium. Condonetur deniq; quoquo modo literis hoc facinus,
quod fatale (vt opinor) erat huic ætatī, vt & alia atrociora,
impietatisq; impurioris redolentia. Postremo hoc tibi, Here,
mihīq; persuasum sit, gladiaturam illam stili, nō esse ludi elo-
quentiæ, quæ summorum auctorum elogiis testantibus, sese
non nisi viris bonis & æquis indulget libere pertractandam.

Mihī vero (Rex inquit) iū qui eruditio eximia & elegan-
ti, ad ornanda exacuendaq; maledicta, aut tuenda & armāda
maleficia vtī instituerunt, esse non absimiles illis semper vīsi
sunt, qui vasis aureis aut gemmeis ad propinanda vtuntur ve-
neficia: aut qui prudentia, ad circūscribendum: aut qui scita
ratiocinatione, ad astruenda commentitiā dogmata & exitia-
lia. Hī enim vt peruersam mentem habent ip̄li, ita rerū quoq;
peruertūt vsum, sanitatisq; presidia in exitium vertunt homi-
num. Quibus equidem ip̄lis non pudēdā tantūmodo, sed etiā
esse dico pigendam doctrinam & pœnitendā: cum tot tātisq;
vigiliis (vt audio) tantoq; tempore à vobis cōparetur. Vi-
tium est hoc eorum Here (inquam) quos Græci ap̄irocalos
vocant, qui rerum honestarū compotes facti, aut absurdē, aut
præpostere, aut deniq; inepte iīs vtuntur & incommode. Sed
quemadmodum (vt inquit Marcus Tullius) prouerbio testa-
tum est, hominem frugi omnia rectē facere, quod Stoici de sa-
piente dixerunt: sic doctrinam eximiam, moribus cumulatam
esse bonis oportet, vt eloquentiam pariat toto organo (vt di-
citur) instructam commodissime. & quātum Pythagorici nu-
meris & musicæ, tantum debent egregiè literati candori tri-
buere & probitati. Verum enīmuero ò summam indignitatē

Here, quæ inscitia matre orta, non modo multis seculis adoleuit, sed etiam publica auctoritate regiaq; corroborata est, ut iam flecti nequeat. hæc tanta iuuandæ, componendæ, cohonestandæ vitæ facultas: hoc organum tam instructum reipublicæ splendide administrandæ, moribus tamen Fraciz inter lucifugas disciplinas iacet, atq; etiam lucrifugas (vt multi cauillantur) in locis obscurissimis. Quippe cum eius disciplinæ professores ex eorum numero circucripti sint, non modo qui æra merent Principum aut publica, sed quorū ratio quantulacunq; habetur in commodis distribuendis. Nihil in anniversariis rationibus Regum expensum iis ferrī solet, nō magistratus, non honores, nō sacerdotia deferri. In classe deniq; formulariorum, libellionum, amanuēsiumq; homines adhuc censentur omnium doctissimi. nimirum quoniam eorum scripto plerūq; locupletes & ornatí viri, sed non perinde literati vtuntur, quando orationes ipsi aut domi, aut peregre habituri sunt. Nec vero minus indecora in Francia seruit eloquétia, quam Hercules quondam in Lydia dictus est seruuisse. Et quidem saepe mecum ipse aestimans ætatis nostræ contentio nem ad literas cum Latinas tu Græcas in integrum vitæ restituendas, admirari soleo, quo numine tandem acti studiosi quidam homines, iidemq; leuiter peculiati, nihil aliud pensi præter id habere videantur. Nam cum in omni ordine conditioneq; vitæ ciuilis, si vñquam aliâs, nunc maxime, singuli vñiuersisq; rei quærendæ, augendæ, tuendæ, fastigio suo tollendo, amplificando, exornando, omnem curam animaduersio nemq; impendant: hi abiecta patrimonií componendi nedum amplificandi aut expoliandi cura, toti optima fide incumbunt ad interpolandam, reconcinnandam, denuo perpoliendam eloquentiam, quæ tot saeculis in squallore iacuit & situ foecissimo. cum interim nulla spes præmiū aut numerandi tandem, aut rependendi oculis eorum obuersetur. Quos equidem ipsos non minus de posteris mereri æqualibusque cen-

seo, quām illī olim maiorum (vt ita loquar) gentium au-
ctores Græcī atque Latīnī , inueniendis artībus prodendisq;
promeritī sunt : etiam si fastigium ipsi inuentis , manumque
imposuisse vltimam iure debent existimari . Nam illī qui-
dem , quōd acumine & iudicio facile præstiterunt , ea fuit
temporum magis quām hominū præstantia . Cæterum eo-
rum īdustriæ non cedit memoriae nostræ peruigil diligen-
tia . quibus bona pars florentis ætatis in linguis ediscen-
dis conterenda est , quæ prorsus iam alienæ sunt & peregrī-
næ sermoni vernaculo vniuersiūsque gentis . At labori ho-
mīnum īgeniorumque præcellentia sua olim præmia sem-
per , aut certè plerisque sacerulīs constiterunt . Ex quo vero
homines nunc meminerunt , veræ eruditioñis æstimatio vs-
que adeo iacuit , vt iuuenes parum frugī indolisque deplo-
ratæ iudicarentur , qui literarum discendarum studio vnum
aut alterum annum prorogantes vltra solenne vulgo spatiū ,
tantisper fortunam ipsi suam morari , seque fraudare iis ar-
tibus viderentur quæ ad rem faciendam pertinent . Hancq;
ipsam ob causam memini me q̄lī ab huiuscemodi pruden-
tum natione designari oculis nictantibus , vt fanatico amore
literarum īanīum corruptum , qui oleum cum opera perde-
re me non sentirem . ac nisi natalitiū quidam īstinctus , se-
rò quidem ille , sed vehementi atque vniuersa animi conten-
tione , mentem meam huic pistrino alligatam assidue tene-
ret , stimulōque Philologiæ īdies magis ac magis exacuto af-
fidue perurgeret , amoribus illis meis vtique aridis & ieunis ,
nuncium iamdiū remissem . Nam discendi cupiditas quan-
quam hominī honestarum rerum admiratione īmbuto , tū le-
ctionis blandimentis , tum profectus illecebris , lenocinari mi-
re solet : tamē nisi pabulī quippiā extrinsecus obiciatur , pro
quo ipso spei vel īanīis & cassæ illīcīum s̄aepē cedit , ani-
mus sensim lassescens , ad extremum necesse est vt fatigat.

d ii

Iuris ciuilis ac pontificii non dico prudentibus, sed vt cunque
consultis, spes certarum capturarum proposita est ad cancel-
los forenses oberrantibus. Quem & ipsis cum forensem labo-
rem grauari coeperunt, a togatorum ordine emigrare statim
licet, si fortunam naesti sint admiculatricē, ad tribunaliaq;
scandere, & in subselliis liliatis enitescere. Ex nulla autem fe-
rē vel disciplina vel natione homines tot euadere videntur:
non sua vi, non propria, non iusta magnitudine grandes:qua-
si quosdam grallatores. nam vt hi calopodibus sublati inces-
su prægrandi giganteam proceritatem emetiuntur, sic illi in
summis magistratibus altisq; cothurnis honorum constituti,
summi sibi viri multisq; videtur esse. Quo nomine præcipue
iuris interpretum libris officinæ palam & tabernæ refertæ
sunt, bibliothecęq; ipsorum magistratum, iuris quoq; inter-
dum imprudentium. Quippe lumen & foro & conciliis præ-
tulisse iuris enarratores, & vt vocantur, consulti, amplissimo-
rum ordinum præiudicio existimantur, cum apud peritos co-
stet, huiuscemodi commentariis ius antiquum illustrantibus,
ipsum ius ciuile excæcatum esse, nonnullaq; ex parte pontifi-
cium. Huius autem scientiæ & aliarum discipulis, post annum
ynum aut alterum, & a primis statim rudimentis, exedere è
tyronibus solenne est, ac tyrocini depositi insignia capere, ba-
culariosq; (vt opinor) vocitari: postea aliquot annorum acce-
fione pro cuiusque disciplinæ instituto, mellodidascales mo-
ris est designari, ac prælegendi iure donari, qui secundus gra-
dus est in lignum acceptoru in omnibus disciplinis: inde por-
rò ad docturam prouehi, qui apex est magisterii, ius iam ple-
num conferens ac decus publicè responsitandi. At verò no-
stræ Philologiæ asseclis tanquam perpetuis discipulis ac sem-
per tyronibus nunquam exanclatæ sunt ærumnæ studiorum,
nulli tituli, non docturæ, non prodocturæ vel mellodidasca-
liæ, non cuiusvis magisterii propositi, nulla insignia honorum
expectata, nulla decora, nullæ spes emeritorum, profecto cū

multa iniquè & nostris & omnium pene moribus comparata
sint hoc tēpore, in omni parte vitæ: tum id iniquissimè, nisi ní-
mum ipse hominum nationi faueo arcta mihi necessitudine
coniunctæ. Nam quid iniquius eo esse potest, q̄ quam disci-
plinam ad omniū artiū honestarum interpretationē, expla-
nationem & iudiciū, omnium honorum administrationē illu-
streū & spectandā, viam munire & gradum facere non dubiū
est apud homines peritissimos, ea vna disciplina omnibus ho-
norū gradibus deiecta omnibus cassa dignitatum insignibus
est, vt nec in orchestra, nec in ordinibus theatrī reipub. nostre
sessum spectatūq̄ admittatur. Mom̄ certe hæc iam indigent,
& mom̄ sane acris, & præuaricationis insciū. Quanq̄ huīus
indignitatis culpa penes eos est, quibus quasi designatoribus
respublica vſa est ad hunc diē, siue imperitissimi ipsi, siue fue-
rint iniquissimi, qui iis locū nullū omnino quasi triobolī ciui-
bus reliquerint, quos primorū subselliorū sessores esse, & de-
cebat & equū erat. Atqui seculi cuiuscq; ppudiū est & grande
opprobriū, cū viri insigni doctrina prediti, & morū honestate
comendabiles, nec alioqui socordes, aut egentes ipsi & iacen-
tes domi suæ videntur, aut in familia diuitiū versantes & ob-
errantes tanq̄ mediaстini. Videlicet hoc illud est quod aiunt.

Sed iam nimis multa huīscemodi fortasse, & vereor, Here,
vt de fæce iam querelarū haurire apud maiestatē tuā videar.

Age, age porrò, Rex inquit, age quod agis Budæe, interim
dū aqua tibi fluit: quandoquidē aurem vacuā tibi ac tuæ Phi-
lologiæ vtendā accommodare nunc constitui. proinde tu nō
tanq̄ ad clepsydrā, sed tanq̄ ad amphorā dicas licet: ac ne id
quidem modo, sed doliū vel totū querimoniarū vt exaurias.

Pergā igitur, inquam, Here, quando bona venia maiestatis
tuæ licet, apud quam aliâs quoq; fere aqua nō maligne mihi
funditur, præsertim literarū bonarū causam defensitati: sed q̄
maxime potero de liquido tamen hauriā. Quod vtinam mihi
amoribusq; meis, nō vacatē tātū aurē & vtendā, sed proclue-

DE PHILOLOGIA

etiam & fruendam, Here, olim commodasse dicare. & vero his & huiusmodi acroamatis animaduersiōnem strenuam accomodasse. Hoc igitur illud est, ut dicere cœperam, quod quidam olim vir prudens dixisse commemoratur, Mundum hunc tanquam theatrum quoddam esse prægrande, & visenda varietate distinctum: sed in quo deterrimus quisq; optimū quenq; locum occupare sæpe soleat, occupatumq; eundem iniquè retinere, summotis inde viris longè melioribus atque dignioribus. Legib; regiis atq; pontificiis, iuris vtriusq; studio, medicinæ atq; theologiæ, in cōuentib; scholasticis Franciæ, gradationes suæ, annariaeç denunciationes apud pontifices & alibi constitutæ sunt: indeq; sacerdotiorum petitiones, ac legis actiones proditæ: ne dialecticis quidem huius beneficentia regiæ exortibus, atque pontificiæ. Hac lege tertia pars sacerdotiorum earum artium discipulis ita contributa est, ut sint qui in candida pura petant, & qui in candida commendatorum: quos candidatos scholarum vel conuentuum scholasticorum, recte (vt opinor) qui volet appellauerit: ut olim candidati Cæsaris appellati sunt, ii qui à principib; Romanis ante sublata ab augustinis comitia, nominatim tribulib; commendabantur. Et quidem moris est, ut ii quibus candidatos esse licet, hoc est, qui in unaquaq; disciplina gradu aliquo prædicti sunt, anno suo petere se apud eos profiteantur, qui sacerdotiorum conferendi ius habent, constituto anni tempore, quod denunciare vocant: & in candida vero pura petentibus, & à scholasticis conuentibus proditis iuuenibus, quos nominatos vocant, vtrisq; sui menses ad petitiones attributi sunt, si modo sint ritè ex formulaq; professi. Hæc igitur cum recte atq; ordine constituta esse videantur, quænam est tanta vel hominum ignorantia, vel temporum iniquitas, ut circularis disciplina, vt omnium disciplinarum arbitra & disceptatrix in pontificiis atq; regiis constitutionibus præterita sit, & exhortæ planè omnium honorum honorumq; facta: quæ legi-

bus, quæ decretis, quæ moribus institutisq; deferuntur. Quis porro non indignetur, eam disciplinam & professionem, quæ omnes alias complectitur, atque intra suum orbem coercet, quæ suis finibus singulas quasi architectonico iure circunscrabit, à schola Parisiensi (quæ ut metropolis sit ipsa omnium scholarum, & censeatur: omnium (ut opinor) ipsarum bona venia & assensione licet:) inscitia temporū, & pauperie in re literaria facta, è numero disciplinarum exauktoratam esse: è præsidiisq; electam Palladis, atq; eius ære dirutam? Quando autem eloquentiæ facultatem adeptis, & vere doctis & literatis, eadem lege aut alia, anno suo petere? quando decimo lustro studiorum liciuit? At enim si minus in legis auctoritate, tamen aliás spem habent subsidiī in æquitate pontificum & antistitutum: piāq; eorum beneficentia & populari collocata. Quotus igitur quisq; pontificum, aut aliorum qui deferrendi aut conferendi sacra beneficia ius habent, cum tot curialia flamínia, urbana atque rustica, tot sodalitates canonicas, tot primatus, tot honorata ministreria, tot ecclesiastica munera variis nominibus functionibusq; distincta, quotidie in multos aut commendatos fibi, aut meritos vel de se, vel aliás conferant, vnum tantum imputare Philologiæ nostræ potest? Quis de literis bonis hac ratione bene merendo, gratiam à populo aut ab ordinibus aucupari visus est: nam quæ clientelæ longæ & famulatuī deferuntur, non commendationi doctrinæ: sed obseruantiae & obsequio tribuuntur. Quoto porro cuique homini doctissimo eo nomine vidimus aut minimus, eiurandi (ut fit) sacerdotii venia impetrata, per manus traditum huiusmodi beneficium? Nullo igitur nec loco (Rex inquit) nec numero habetur, quantum ex te audio, ea studiosorum natio doctorumq; hominum, quos solos latinos esse & literatorum appellatione dignos, ab his censi video, qui latinæ antiquitatis periti esse dicuntur: cum tamen eiusdem ordinis scriptorum industria atque doctrina illustrium

olim regum populorumq; res gestæ, memoriæ proditæ sunt,
& ad hodiernum usque diem eorum memoria prorogata. Id
quod moribus comparatum & receptum, iniuitatē non me-
diocrem, aut ignorationem summam apud nos eius numinis
præfert, quod tu religiosissimè ac diutissimè coluisti. Tamen
si isti vestræ dicendi scribendiq; facultati, insignis gens Gal-
lorum (vt audio) nihil habet magnopere memorabile quod
acceptum referat. Quod utinam nobis contigisset, vt tam ac-
curati scriptores mediocris notæ, in veris laudibus maiorum
nostrorum extitissent memoria mandandis, quām nobilis il-
le Romanarum rerum scriptor Līuius, cupide fecisse videtur
vbicunq; occasio homini sese dedit, Gallorum vt gentem no-
menq; in historiis suis maledictis cōcideret, cum indecora sa-
nè & conspīcua significatione inexpiabilis odii, nisi me fallit
opinio. Equidem Here (inquam) memini haud ita pridem,
super prandium tuum (vt saepe inter epulas reficere animum
soles huiusmodi recitationibus) cum locus historiæ, Iosepi vt
opinor, siue alius fuit auctor Græcus, ad Gallorum laudem
pertinens, recitaretur: te protinus lectorem reuocare, locoque
explanatiū recitato, dicere, Multum r̄os æquiore illo scri-
ptore vsos esse, q̄ Līuio latīo quamlibet illustri historico: in
quo inustum Gallici nominis odium prepemodum Vatinia-
num, facile esset animaduertere: fidemq; historiæ quatenus ad
eam gentem pertineret, eo nomine labefactata esse. me ve-
ro subridentem respondere memini, Oportere hominem Pata-
uīnum, male aliquando atque dure à transalpinis Gallis &
agro Patauino finitimi, acceptum esse, & pugnis fortasse cō-
uerberatum, qui acerbè magis & stomachofè, quām histori-
cè & compositè Gallorum mores vastos corporaq; fingeret.
eamq; ob rem fortasse Patauinitatem in eo reprehendi potuisse
vt absurdam & indecoram. Verum quod Gallorū res post
annos mille gestæ, parum feliciter proditæ sunt, aut proiectæ
potius: nec tam posteritatis memoria commēdataæ, q̄ quoq;

modo mandatae, culpa fuit principum, qui posteritatis rationem vel nullam vel minimam habuerunt, sicut nec anteriorum temporum, tanquam nihil ad se pertinentium. Nam ut vetustiora pretermittamus rudioraque secula, cuiusquam post hominum memoriam in Francia ea cura mandata est, eamque ob causam stipendum constitutum, quod quidem ipsum commemorare non pudeat, Gallicas ut historias scriberet: aut cui tandem in mentem venit eorum, qui actibus summis rerum a regibus quaque aetate praepositi sunt, id ipsum esse magnopere videndum & accurandum, ut et re summa Franciae existimationeque futurum? Itaque iis temporibus quibus limina regiae Franciae, insigniaque regum laureata conspicue fuerunt & augusta, literati nulli extiterunt, qui victoriarum epinicia scriberent. Sicque magna ex parte lauri exaruerunt. Qua quidem in culpa, instar esse plenum capitalis criminis ausim ipse contendere hominum prudentium sententia, qui quidem vicem publicam doleant, ut par est, & indignentur. Etenim quid est aliud egregia maiorum facinora, instituta memorabilia, consilia eximia, denique mores commemorandos deleri silentio obruique sinere, quam antiquissimi & celebratissimi imperii originem, incrementum, progressum, monumentorumque veterum auctoritatem & fidem, obliuione sepelire, & plane de medio tollere? Prorsus quidem, Rex inquit, nihil aliud. sed tamen qui cum maiorum nostrorum manibus indulgentius aequiusque agendum esse censuerint, excusare temporum conditionem ipsorum nomine poterunt, quae literarum obscuritate quasi quadam caligine obducta fuisse offusa que nouimus: tum regum ipsorum procerumque inscientiam, qui historia quidem ipsi sermoni quid praestanter, nunquam suspicati sunt. Quippe qui commentariarum coagmenta nugari & anilium propemodum fabularum congeriem, pro iustis historiis ducerent & legerent, vnde adhuc hodie dispulta ruderum aetatum nebula hac literarum luce, imbutas tamen im-

DE PHILOLOGIA

peritorum mentes videmus. Qui postquam se in mari (ut vocant) historiarum ingurgitarunt, rerum gestarum commenta mirabilia in cœtu imperitorum fundunt. his nos historias suas interdum serio & grauiter memorantibus, (qui iamdiu emersimus ex eo fabularum figmentorumque pelago,) velut scurrilibus acroamatis auscultare solemus: easque nugas eo loco habere, quo mythistorias illas nobiles mensæ orbicularis, quæ tamen ipsæ lectores scita & artifici varietate deletant, mirisque illecebris commemorationum, hominum attentionem illiteratorum retinent. Tum ego, Here, illico inquit, licebit ne adhuc pauca bona tua pace benignaque venia: quando huc ego prouectus sum ubi insistere nequeo. Per me quidem licet inquit, & quidem paucis pluscula, & vero etiam plura, & plena cum fiducia, ad id quidem certe qua de re nunc agitur pertinencia. Bene habet (inquam) Here: ut non modo petita à me venia & impetrata, sed etiam benignitatis tuæ collario. Velim igitur ipse, per (inquam) velim Here, ut recordere, ea rerum peritia quam vere regiam & mirificam, cum ista maiestas præ se fert conspicue & insigniter, tum facundia profert: & vero isto omnium facile inter reges atque imperiantes principe ingenio, ad omniumque rerum disceptationem apto atque accommodato: quod in sermonibus seriis sese solet indicare nativa facilitate, quantopere temetipsum oneres. velim (inquam) hoc ut animaduertas & recordere etiam etiamque. Caeve vero existimes in ordinem te Regum (ut ita loquar) hominum iudicio redactum esse, qui hactenus fuerunt in Francia, certe quidem nostra auorumque memoria. ad tua enim praescripta, non ad maiorum exempla spem de te conceptam homines metiuntur: duntaxat qui te norunt, qui quantusque sis, quotque parasangis (ut aiunt) tute ceteris ingenio anteeas. Quare cum huiusmodi natura iudicioque prædictus sis, & historiae cupidissimus, & tuus principatus in hanc literarum claritatem incurrerit, tum præsto mox futuri sunt quibus mā-

des quicquid velis , homines doctissimi nimirum nihil tibi in excusationem cesserit, non superstiti, non fato functo, non alias res agenti: istorum quidem certe, quae antecessorū regum nomine probabiliter ipse summaq; æquitate excusauisti. Immo vero (ut plane iam tecū, non cum maiestate regia loquar) nisi maiorum tuorum manes , in flumine Lethe summersos cum vetere regni gloria, in summum tute extrahas, splendoriq; suo restituas, omnem huiusc rei culpam ipse in præteritum & in posterum vtiq; præstaturus es hominum opinione. His illud addā, Quod si cuiusquam interfuit regum vñquam, regni sui claritatem posthumam, splendoremq; hereditarium relinqueret, tua id, Here , maximē interesse videtur , qui & numerosa quidem satis sobole, & sane eximia, ac lætæ spei auctus, hæredes (vt speramus) relicturus sis summe liberos indolis & ingenii. Quos ad hunc diem impuberes, viro vtraq; lingua doctissimo Benedicto Theocreno , sic erudiendos mandasti ac tradidisti , vt tamen sub oculis paternis & tanquam in sinu tuo instituantur, ingétem olim ipsi splendorem atrio addituri (si vota valuerint) illustrissimorum Franciæ penatium. Nihil autem potest nec excelsa tua mens, Here, præclarious instituere, nec imperii fortunæq; magnitudo amplius efficere, ad tuī tuorumq; memoriam splendide propagandam, quam vt honestissimæ doctrinæ atq; probatissimæ cultoribus & exornatoribus , præsidia ad vitam subsidiaq; stabilias, procul ab egestate agendum . nondum enim id ago , quod aliquando non grauare (vt spero) concessurus es, (qui mihi qualicunq; homini, sed tamen eo nomine hæc ornamenta detulisti) dicendi vt facultas ciuili scientia imbuta, à te velut prudenti taxiarcho atque designatore, in gradum suum honoris locumque congruum collocetur, vel tanto potius interuallo splendide reponatur. Verum, si quod dicere cœperam, Here, tute facere primo quōq; tempore, ut constituisti, institeris, hoc te effectum spondere, pignoreq; capitali cauere non dubitabo, no-

ster hic vt conuentus comes Philologiae, non metropoliticus modo conuentuum scholasticorum, vt antea semper habitus est, sed Athenae (vt ita dicam) togatae ac palliatae, existimetur esse ac dictitetur: ob idque agminatim visatur omnibus est prouinciis atque gentibus, vel longissime remotis. Quod si quominus id ex animi tui sententia facias, desideriorum nostrorum, humanitus quid acciderit (vt fluxae sunt res mortalium, leuique momento interdum euaniuntur) ominari non ausim, quod res nobis literaria, quae gliscit nunc indies conspicue, rursum sit recasura. Tametsi vix fieri posse puto incolumi re Francica & regia, vt ipsa Philologia ab animis generosis & strenuis procedere licto habeatur: cum suapte ipsa gratia mira & incredibili preedita, cancellatis (vt dicitur) manibus amplectendam se praebat illis semper atque suauandam. Et vt primore statim accessu festiva est, & blanda hominum conciliatrix, ita postea praelauda quaedam habet phyltra, illecebris illita liberalium ingeniorum, queis cum semel consiliis & instituti rationes comunicauit. De me certe conjecturam aliorum facio, quem nemmo non inuitum & gementem, animumque mox desponsurum, a literarum cultu consuetudineque abduxerit, qui non idem cauum & conuexum (propere dixerim) diducere quodam artificio possit. Nisi vero suo quis ingenio, sideri, & genio cum successu pugnare tandem potest. Vide vero (inquit) Budae, necplexu quodam hederaceo ista tua Philologia te semel complexa sit. hedera enim (vt aiunt) sic arboribus haeret, vt tandem eas enecet. tu vero ne sic in illam tibi deamatam incubueris, vt viscum in arborem: vt iam sine ea vivere & tolerare nequeas. & si ita visu venerit, tibi vt ab ea confessim abscedendum sit, tu protinus ægritudinem tibi exitialem conscientias, patrisque tui ratum praedictum tua ingenti culpa facias. Est ita vt dicas, Here, inquam. Verum quid iam faceremus desponsum ei ratis verbis animum atque in praesens (vt dicitur) conceptis, complexu etiam & suauio obstrictum & aucto-

ratum, dirimere nunc ab ea nefarium esse censeo, & nihilose-
cius tandem exitiale futurū . quin ut legibus id dirimere con-
sortium & moribus liceat nostri ordinis hominibus , alioqui
quoq; iam meæ spontis rem eam non esse memini . Valeant
hæc fortasse inter eos qui translatitia formula, vitæ cōsortia
cum Philologia inierūt. ipse vero mihi reliquī feci nihil, quo
numerofiore nexu atq; tenaciore obligandum me illi permit-
terem . quippe qui non modo sponsalia cū ea semel atq; præ-
sentaria (vt dixi) & fide optima contraxerim: sed etiā societa-
tē bonorū malorūq; coierim , valetudinis atq; inualetudinis,
aduersarum rerum ac secundarum , domi deniq; & peregrè,
eamq; perpetuam . Quam ita & sanctam & ratam adhuc es-
se, & ad extremum usq; diem fore spero, vt ad hæredes quoq;
fortasse manatura sit, si suprema mea mandata valuerint: con-
trà quām natura societatis ferat iure ac moribus proditę. Iā
vero ipsa mihi sp̄osalia, cum diu sine dote quidem illa, & ma-
gno cum disp̄dio, cæterum cordi mirum in modum fuerint,
propter gratias , veneres & lepores, quibus ipsa Philologia
semper comitata est, indiesq; fit comitatior & augustior : quā
fieri nunc potest, vt minus eius amore flagrem, minus in eius
cultu acquiescam, ac mihi cæterisq; placeam, postq; à tua ma-
iestate dotem ipsa necopinatam mihi attulit, vberem quidem
illam vt in hac vitæ ratione, & voto meo maiorem , sed quo
exemplo allata est (vt dixi) longe splendidiorem . Cæterum
quoniam alienam nunc causam , Here, acturum me profes-
sus sum : si iam non mea sed communis Philologia (æmu-
los enim iam æquis oculis aspicio, tametsi semper eius amā-
tissimus) ad bonorum possessionem ex illo tuo summae expe-
ctationis edicto admisi fuerit , quod editurum te non semel
palamq; pronunciasti , non venusta modo comptaq; & lauta
futura est Philologia, sed eò amplius ornata, splendida & vi-
senda, cum beneficetiæ tuę & liberalitatis insigni illustratio-
ne. Sī id ne fiat aut diuinitus quippiā, aut humanitus (quod

DE PHILOLOGIA

ominari iterum nolim) euenerit, & ad bonorum possessionem
a me eius nomine petitam, non admissa fuerit, ad haereditatem
illam utique gloriae agnoscendam, inde ut se conferat necesse erit,
quasi ad ultimum bonorum unicuique subsidium. Ad hanc au-
tem cernendam haereditatem communis iam illa Philologia,
meam olim Philogiam ducem auctoremque secutura est: siue
illa locuples satis per se est haereditas, ut ab ingenuis animis
esse existimat: siue inanis tandem & cassa futura est quoru-
dam hominum iudicio. Nec vero periculum est, ne ab ea spe
adeundae haereditatis sposa ipsa nostra, tota procis expetita,
destituatur, cum a disciplinis quaesticulariis haereditas illa re-
pudiata, ab omnibusque adeo artibus, degeneris cupiditatis
ambitionisque pedissequis, neglecta, ad ipsam haud dubie Phi-
logiam eandemque Callilogiam, ut caduca reditura sit. Nec
prae honorum possessione, ad quam vulgus animorum aspirare ma-
gno saepe & sudore contendit & horrore, ea haereditas a nobis
repudianda est, quae in aere suo est multo semper, & nunquam in
alieno. Absit enim, absit inquam a nobis tam prepostera animi
sententia, praesertim principum virorum illustriumque auctorita-
tatefretis, atque aemulatione accessis & ardentibus. quorum pre-
stantissimos quosque videmus, meminimus & legimus, rationum
suarum sumimam ad gloriam comparandam contulisse. Verum
enimuero prisci fabularum conditores, cum alia ingeniose per
multa prudenterque, tum illud commenti sunt prudentissime,
treis ut esse Gratias dicerent, quas nominibus appositis sin-
gulas nuncupauerunt, praesides eas esse statuetes atque arbitras
impendendi beneficii & rependendi: tum earum matrem ex Io-
ue, Eurydomen, eandemque Eurymedusam vocauerunt: his no-
minibus significare volentes, eos maximè munificos esse libe-
ralesque debere, qui & amplis natalibus & splendidis orti sunt,
& quibus late imperitare contigit. Quoniā autem beneficentia
gratam memoriā, benignamque cōmemorationē promeretur,
et si suapte natura non postulat, ideo Mercurium Gratius praesi-

dem moderatoremq; iudem designauere. eo figmēto homines docere volētes, insignitas liberalitates in eos exerceri oportere maximē, qui eas maximē testari & celebrare dicendo possent atq; scribendo. Idq; maximi olīm Reges & Prīcipes factitare in animū induxerunt: Alexander magnus imprimis, eiusq; successores. quorum vnuſ Rex Antigonus, cū Dētrīum filium cum magnis copiis grandiq; apparatu ad Græciam liberandam a tyrannis tū oppressam, mitteret: ideo seſe id facere dicebat, quod intelligeret, eius liberalitatis gloriam sic ē Græcia quoquo versus emicaturam, vt ignem prænūciū ē specula toto orbe cōspicua. Iam vero Romanis prīcipibus & augustis auream in cubiculo fortunam habere moris fuit, tanquam insigne prīcipatus: quam regiam fortunam nōnulli scriptores appellauerunt. Nempe hoc instituto significantes, se tantos prīcipes esse tamq; late dominanteis, vt fortunatores hominum esse & deberent & cuperent: ob idque auream vt fortunam quoquo circunferrent gentium. Verū inter fortunam illam regiam, & popularem fortunam, hoc visideri interesse volebant: quod hæc cēca & volubilis, indignorumq; fautrix (inquit Plinius) vt in quenque incurrit, illum beatum imperitorum opinione facit. At aurea fortuna, sceptrorum contubernialis & socia, perspicax est ipsa, eademq; stabilis: hæcque ab illis pingebatur aut aliās pingebatur, manu gubernaculum cum copia dea tenens. Proinde Reges rerum humanarum prudentissimi, quam plurimos habere homines in comitatu suo semper concupuerunt, dignos qui munificentia prīcipali fortunarentur, honoribusque publicis aut regiae cum primis ornarentur. Quid, qui Reges & Prīcipes hoc parum animaduerterunt, Rex inquit, aut qui animaduersum, in animū non induxerunt? (pauci enim literarum & doctrinæ aut cupidí aut ornatores fuerunt) auream illorum negabitis fortunam aut agen-

DE PHILOLOGIA

teā fuisse, vos Philogīæ sponsi, & ab alio quodam īferiore metallo conflabitis: an etiam auream vt aliorum esse dice-
tis: sed cæcam tamen temereq; versatilem, vt illam popularē,
nec hominū delectorū fortunatricem: facile autem erit, opī-
nor, quemadmodum poetīæ, sic eloquentiæ artifici solertis-
simæ alias atq; alias, vt rerum sic hominū, species īforma-
re, & tanquam aureas statuas & argenteas quibus commodū
ipſi fuerit, editis in locis & conspicuis vndiq;, quasi ex Sena-
tus consulto Philologorum excitare & affirmare. Tales enim
multas videmus in historiis antiquis, quasi in theatris orbis
terrarum erectas: nunquam ita vetustescentes, vt non īdies
magis visendæ admirandæque existimentur. Sanè quidem
Here (inquam) sic enim naturam huiusc rei ferre videamus:
vt aurī argētiq; in hoc genere materia, atq; opificium ipsum,
quō vetustiora sunt, eō vendibilia sunt, præstabilioraq; cen-
seantur. hocq; in vniuersum valet, vt in iis quæ nec interitum
nec vitium ab ætate sentiunt, senium ipsum & veluti caries ve-
tustatis, precium atq; auctoritatem intendat. Nec tamen sta-
tuæ huiuscemodi auro argentoq; ætate hac conflatæ, non in
sæcula quoq; posteritatis ituræ sunt, materiamq; suam atque
artificium illis venditaturæ. Prorsus quidem, Rex inquit, si
ex officiis ipsæ celebribus exierint & māgonii nesciis: quod
nota statim peculiaris cuiusq; officiæ indicat quæ adultera-
ri non potest. alioqui vt ex te aliquando audire memini, eorū
similes futuræ, quæ uno aut altero lustro obsolescere solerēt,
dignæq; existimari, quæ nō in æde (vt tu dicebas) Saturni, sed
quæ Vulcani fornacibus dedicarentur inspectorum ipsius ar-
tis censorumq; arbitratu. at eorum ferè præiudicium tribus
urbanę sequi solēt, iam vero & rusticæ. Verum heus tu Bu-
dæ (Rex inquit) ad fortunam illam redeamus aut cæcā, aut
oculataim, vt porro intelligam quorsum id pertineat. Equi-
dem (inqua) Here, qua de re nunc agitur sic sentio, quoniā in
eo dicendi veniam prolixē mihi & cum auctario tua admen-

sa est humanitas, quanq̄ verecundè petenti & exiguè. Reges ante te omnes Franciæ auream quidem illam fortunam habuisse in contubernio censeo: sed vel cæcā nonnullos, vel oculis fortasse peruersis, vel certe noctuīnis, tenebras ut facilius ac iucundius quam claritatem splendorēq; cernerent. Quod per me quidem licet ut temporum magis quam hominū fuerit vitium. Vereor autem, ut explanate & apte dicere possim quod animo concepi. Reges duos consecrandæ memoriae vidi, quibus tute successisti, Carolum octauum, & Ludouicum duodecimum sacerorum tuum, quorum manes recte conditos esse diuina benignitate, utinam non falso cum multis, ipsorum merito sperauerim. A Carolo ego commodum in aulā accersitus fueram, cum ille repentina casu sublatus est, & exierat iam rumuscus quidam studiorum meorū, qui ad eum permanauerat, nihil minus me agēte qui clancularius tum eram amator impuberis adhuc Philologie, & pene etiam infantis. Paulò superiora tempora meminiſſe magis possum, quam satis animaduersa compertaq; habere. Verū ex quo certissime memini, sic fuit Franciæ status constitutus, aurea ut illa fortuna (quātum quidem pertinet ad eam rem quam agimus, & ad literatorum hominum ornamentum) oculis atq; auribus perinde capta fuerit. tametsi Rex vterque acrem unum oculum probumq; habuerit, Guidonem ab rupe fortī, virum omnia summa meritum, si eo multum uti ad eam rem explorandam ipsi instituissent. Obrepunt autem sæpe cum priuatis, tum Regibus simulatio atque dissimulantia, quibus velet præstigiis atque Gygis annulo, capitalis sæpe fallacia, oculis præstrictis se subducit alioqui non hebetibus, prauiq; hominum mores, aut inertes, aut degeneres fallūt sub integrum frontis vultuumq; tectoriis. Sed lōge capitalius est, (ut mihi quidē videtur) auriū ludibriū in Principe, q; oculorum: quoniam in eo non tā suo errore Principes, q; imaginaria fide, elogiorūq; auctoritate emētita círcuueniuntur. His aut mo-


ribus præditi erat illi Principes (et si dissimili ingenio nati) ut si incorrupta hominum fama ad aureis aule interioris penetra re potuisset, cum multis ipsi benigne atque commendabili beneficentia acturi dubio procul fuerint, quibus tamen iuuadis sestertiis vnius nummi instar sibi nunquam expensum ferri iusserunt. Contraque complureis ut munificentia sua indignos contempturi fuerint, quos opimis iidem ipsi congiariis prosecuti annuis quoque opimis insuper auctorauerunt. Itaque viuis illis principibus, famæ commendatricis inani prærogatiua, & votis irritis popularium multos designari in urbe magistratus, antistitiusque ornari non paucos sacerdotes audiebamus, qui punctum ne vnum quidem in comitiis regiarum regum ipsorum tulerunt. Sed sic fuit semper fortunæ iniqüitas, non cæcæ quidem modo, sed etiam cæcaticis eorum plerunque quos arctè complexa est, bonorum virorum ut calculis ipsa & sententiae, iniquis euentibus enixe refragaretur. Verum eorum regum tempore, literis bonis operam dare (id quod mihi maxime ut si cuiquam alii contigit) nihil ferè aliud, multitudinis atque etiam honores obtinentium hominum opinione fuit, quam stultorum ferias (ut ita dicam) agere, qui dies olim festus apud Romanos fuit: in eorumque studiorum vacatione functionumque immunitate acquiescere, quæ ad fortunam vnicuique faciendum, & ad fortunas augendas moribus comparatae sunt. Tametsi Rex Carolus humanitate singulari liberalitateque memorabilis præditus, & literarum elegantium opinione quadam imbutus, quarum nomen tantum in Italia raptim quasi per transennam audierat, earum me gratia, & Græcarum præcipue, quæ tum in Francia penè erant inauditæ, euocandum mandarat, ut supra dixi. eram enim tuum plus minus quadrenium in rudimentis vtriusque linguae, nullo cum sodali, sed mecum ipse tantum & cum lare familiarí clam & verecundè versatus. quod ad eum fando (ut fit) permanauerat. namque eam ob rem, non clarus ipse quidem apud nostros, sed specta-

dus tamen & monstrabilis eram: utpote qui ad musarum cōtubernium tunc infrequens atque inane, sic viam affectassem ut qui ad desertum diuersorum, nulloq; insigni notum obscurumq; diuertunt. & erat tum in Francia literarum bonarum doctrina ferme tam vēdibilis & expertita, quā m olim erat Lacedæmone ars scenica atque histrionica. Cæterum quod Philologia nostra eorum regum tempore sic iacuit, culpa fortasse nonnulla fuit ipsorum. Sed crimen & scelus penes oculos auresq; regales fuit, à quibus ipsi Reges circuuenti sunt capitali coitione. Ita enim more hominum comparatum est, ut monarchi, ut populi, ut optimates, ut Senatus etiam frequentes interdum & curiae, dolo & decuriatione paucorum circumueniantur, eoruū præcipue, qui super admissions præpositi sunt. Quę virtutis tanquam tabes quædam, atque intentus est tandem, præcipue vero ubi plurimum habet licetiae atque impunitatis. Ab hoc autem cæco serpentiq; veneno sacrosanctas esse regias aureis in magnis imperiis admodum difficile est: (& si id maxime par erat, & publicè cōducibile) nec ad id excogitari antidotum tam appositum vñquam potuit & validum, ut securitatem præstare iis potuerit à captione tutam. sicuti nec aduersum sycophantiæ venenum: ut est in proverbio apud comicum Aristophanem. est enim maius id malum humana prouidentia. Ea tamen, Here, expectatio & alacritas studiosorum ex sorte mea excitata est, qui solius famę commendatione, ac sine ambitus ineptiis & molestia à te tuli quod optabam, & vero altero pene tanto amplius: ut Philologia iam nostra candidatos suos comitia te habete & regente, designatum iri ad honores & magistratus, idq; sua tantum gratia, sperare occuperit. Quis enim tibi fucum facere, quis imagines rerum pro rebus confidet se posse commendare? quis hominum simulacula pro viris doctis & prudentibus approbare? quis deniq; doctrinam hominum & dignitatem præuaricando, apud te dissimulare ausit, qui ingenium

DE PHILOLOGIA

tuum quidem, qui experientiam, qui iudicium norit? At ea vero quis ignorare potest tuorum: ingenium dico & iudicium. immo vero omnium (propè dixerim) disciplinarum inchoata nō leuiter notionē atq; etiā cognitionem: partim informam naturæ mira benignitate, partim frequentibus & assiduis doctis cum viris disputationibus? Et perridere quidem mihi interdum ac lætarī supra modum contigit, cum quosdā pinguis Mineruæ homines, & lemīs (vt dicitur) Saturniis lippientes, de literis vltro censentes & literatis, quasi sexagenarios de ponte deiūceres huiuscemodi suffragiorum. Quibus exemplis cæteri eiusdem ordinis edocti, te iis de rebus disserente, aut sermones lacestante, fauere iam linguis soliti sunt, stupentesq; auscultare. Age (inquit), age porrò qua de re inter nos agebamus, & de me nunc Budæe cōfilesce. Sanè vero, quasi ego illa artium principia discere potuerim, qui latīnæ linguae tantum rudimenta, vel elementa potius puer attigī. Et quidem quod vernaculo sermone tecum vna nonnunq; & cum multis, hisce de rebus dissero, nō quasi meo iure id facio, non ea fiducia fretus sum. noui me nec secundas nec tertias huiuscemodi actuum exequi posse, nec vero mediocriter sustinere. similiterq; mihi facere, cum id accidit, videor, atq; cum aduentitiū quidam homines (vt fit interdū) musica quoquomodo imbuti, & specie cultuq; conspicui à symphoniacis dissentaneo, ad odeum delubrorum verecūdē accedunt inter sacra peragenda, & sensim illis intermissimq; accinunt voculosis illis numeris & vibrantibus: sic & ego de disciplinis loqui exordientibus succino interdum, haud scio quām scite & apposite. Iuuat etiam sæpen numero fungi vice cotis (vt dicitur) aut incentiæ tibiæ, disputatesq; acuere sermones lacesendo. Hic ego enim uero facere non possum, Here, quin paululum digrediar, et si me pergere porrò iubes. Neq; enim veniæ quasi liberalius datae, repositor esse (vt opinor) sustinebis: cum rata (vt nosti) esse deceat & propria principū be-

neficia. finesq; meo me iure vt ex animi mei sententia : quando etiam eadem beneficia pleniora atque uberiore inter pretationem admittunt iuris prudentum auctoritate . nam quae dicturus sum in hac digressi uncula, non tibi iam, Here, sed mihi intus, ut Aspendius olim citharistes, iisq; qui hic propter me stant, canere constitui, tantisper a te auersus. Tuo vero(inquit) Budae arbitratu, modo qua de re nunc agitur (ut prædixi) tute nunc quoq; memineris. At vero, Here, in quam, æquum hoc ego esse contendo, ut mihi gratiam paulisper legis a te latæ facias, dum ipse hanc ab ista maiestate apostrophen facio. Vide igitur(inquit) ne logiuscula, neu quid mediū intercinat actum, quod non proposito conducat, & haeret apte. Quod cum ego annuissem, tum aliquantum ad circunstanteis eosdemq; attentos conuersus, Postridie ut opinor(inquam voce iam submissiore) aut summum die tertio, quam in aulam ab Rege pridē euocatus sum Ardeam: quo reges charitate germani, ætate & alias florentissimi, ad colloquium coierant celeberrimum, atq; vtrinq; ornatissimum: incedit epulante eo sermo de noctium breuitate solstitiali ad litus oceani. qui cum aliquantum progressus esset, super ea re statim hominem me tum huīus aulicæ militiae tyrunculum, ipse Rex percunctatus est. ego autem ita in comitatum veneram, ut rerum mathematicarum inscium eum prorsus esse crederem: & rei quam rogabar rationem tenere me confidebam. Rogatus igitur sententiam, intrepide cœpi ac sine cunctatione ea de re differere, ut qui in ludo meo versari me putarem, nec mihi ab ipso sententiæ rogatore quicquam esse, aut aliunde metuendum. Ibi cum finitorem orbem æquinoctialemque imaginaria delinitiōne quasi in abaco, sic super regiam mesam dígito circumscriberem, indeq; nocturni circumactus solis diurni rationem ductu manus colligerem, velut aliud agens atque in supina securitate, hallucinari aliquantulum cœpi, nullo circunstantium præter Regem animaduertente



DE PHILOLOGIA

errorem. erā enim si unus ipse Rex non affuisse, quasi simio-
la (vt dicitur) inter asellos ludens. quod quidem certe ad eam
rem attinebat. Ibi vero ille sermone meum leniter excipien-
do, erroris me admonens, molli (vt aiunt) brachio in gradum
repositus. & erat non imperitiae culpa (vt dixi) sed hallucina-
tiuncula mentis, quasi oscitantius vagabundae. Verum cum
ego casu necopinato perculsus, & rubore suffusus, errorem
illico agnatum deprecando, in viam rediisse, faciendum mihi
esse intellexi, vt cautius in posterum attentiusque differere
pergerem. Ante hunc autem Regem, atque ante eum fortasse
diem, sic sensus erat hominum peritorum, vt qui hisce de rebus
& similibus in regia differeret, is non modo ineptire, sed my-
steria (quod dicitur) effari in cœtu videretur hominum profa-
norum. Cæterum aderat tum ibidem vir quidam ingeniosus,
alioqui mihi notus, ex eorum numero, qui literas more homini-
num & aliquanto amplius didicisse existimantur. Is collecta
de me opinione altioris doctrinæ ex hominum rumusculis, pre-
uaricationem eam esse ambitiosam statim interpretatus est,
assensionemque obsequiosam, regiae utique maiestati cedentem:
non veritati atque conscientiae. Itaque ille cum me post eum
sermonem pone dígito (vt fit) impulsum, paulum illinc con-
cedere, ad colloquium innuisset, Euge (inquit) tyruncule, iā
aulicæ vrbanitatis rudimenta (vt video) posuisti. nimirum de-
positi tyrociniū mox insignibus decorabere. hem, quam appo-
site adueniens aulæ genio lenocinari in mentem tibi venit: vt
scita autem doctrinæ submissione gratia hanc primam à principe
ineudam duxisti: à quo (si diuīs placet) cum in arena tua, vesti-
gia credo nota fallente, lapsus es, iure tu reprehesus es, ma-
nuque subleuatus. Vel hoc tamē Budę quis non credit, qui
te & illum norit, quod quidem ad id certe, quo de agitur, at-
tinget. Profecto secunda (vt dicitur) cui aulicam disciplinam
tute auspiciatus es, tantoque omni (vt opinor) progressus mox
responderit, si ad ludum tute ventitare perleueraris. Cum

hec & huiuscemodi ridens ille & cauillabudus diceret: egoq; quæ ipse mihi ominabatur, nequaq; agnoscerem, homo stomachi pene cœpit & irasci, quasi delicias facerem, secumq; ve-
lut homine imperito dissimulanter ipse agerem. Quod eum
egre ferre cum animaduertissem non ante fidem ipsi consci-
entiae meæ feci, quam asseuerantius & iureiurando confirma-
ui, simpliciter à me eam rem actam esse atq; ex animi senten-
tia. idq; multis post ille exemplis edoctus, facile verum esse
tādem credidit. Cæterum hoc vt certum tenetote, me prīmū
panegyrīca fretum fiducia cum Rege differēdo de rebus ad
literas bonas & eleganteis attinētibus, meticuloſum tandem
esse factum ac mihi diffidentem. Dein ad Regem ego refle-
xus, Nostrum nunc, inquam, Here, sermonem intercīsum fer-
ruminaturus sum, clepsydræq; tantisper obthuratae iam de-
mam epistomium. Tametsi igitur proximo tuo sermone intel-
ligendum nobis dedisti, cum de literis disciplinisq; verba fa-
cis, non id tam iure tuo, quam quasi occupatīo facere, aut
precario, claris tamen exemplis admonitus sum, solicita cum
animaduersione hisce etiam de rebus tecum sermocinandum
esse, cum ego in auspicando specimine impegiſsem nīmia se-
curitate. Quanquam rursus vt dominus es in officiis ministe-
riisq; exigendis minime morosus, famulisq; tuis indulgens &
ministris quos à cura corporis habes omniumq; horarum ap-
paritura, vt si quis vñquam regum: ita in rebus disputandis
disceptator sane quam æquis, & fortasse æquior equissimo.
Et quidem in ingenio tuo moribusq; regiis nihil nec suauius
animaduerti, nec commemorabilius, cum omnia sint maxima
& propè exemplaria, quam quod vel conniuere in eorum cul-
pa soles qui in differendo coram te hallucinantur, vel si illi à
te libere dissentiant, aut molli articulo erranteis ac sine im-
putatione corrīgere, lapsosq; non ægre erigere. atq; hæc ita
facis naturæ mira dexteritate, imperium quidem vt interim
sceptrumq; regium deponere, oris autem summam dignitatē,

incredibilem facundiæ leporem, regiam denique maiestatem
retinere auctoritatemque videare. tute vero ut etiam tuo de
iure decedere non graueris in causa aperte superiore: si tamen
eiusmodi cum hominibus disceptes, qui in sua ipsi arena à te
vinci sine pudore nequeant. quo nomine memini quantū etiā
aliás tuæ huīanitatí debeam. Iam vero si te audiente (vt sæ
pe fit) inter aliquos acrior disputatio animosiorq; exoriatur,
auscultatorem agere non modo ciuilem, sed officiosissimum
nosti: interim etiam cum opus est, existimatorem in neutram
partem propensiorem, earum quoque non minus rerum quæ
cognitionis tuæ sunt: quarum etiam disceptator iure non re
gio sed priuato esse posses, iustusq; æstimator. Quam morum
æquitatem atq; ciuitatem, in proceribus primariisq; magis
tratibus atque secundariis indignabundi sæpe desideramus.
Harum rerum exépla si tam híc memoranda duxisse, quā m
alibi & passim memoratu digna sunt, longior foret ab insti
tuto dígreslio, quam pro modo aquæ nobis fluentis, & tua me
humanitas hæc trámittere iubet, quæ ad rem eam, quæ in cau
sam deducta est, nihil pertinere censes. Ideo etiam memoran
da mihi esse multa nō duxi, quālibet memorabilia, quia quoti
diana atq; omnibus penè nota. Cum igitur, Here, eo sis in
genio, eo iudicio natus inter summos principes, vt apud te fa
cundiæ, doctrina iusta subnixa, viros bonos tam commendet,
quā venustas mulieres & puellas honestissimas apud eos
qui sciti & elegantes formarum spectatores videri volunt:
facere ipse non possum, vt cuiq; iuueni ingeniosissimo occur
ri & indole magna prædicto, quin omnes de literis bonis ma
gnifice sentire sperareq; iubeam, ad studiumq; earum vehe
mentius cohorter: futurum etiam recipiam, atq; existimatio
nis meæ pignore cauere non dubitem, quicunq; ad doctrinam
euaserit partibus suis absolutam: si modo industriam doctri
næ ingenuam moratamq; addiderit, atq; in regiam tuam no
men eius, aut cognitore graui dato, aut ingenii documentis

quoquo modo insinuarit, ut constet ei ratio operæ in literis bonis impensa. Cuius rei spes atque expectatio, ideo gestiætior est atq; impotentior, quod ante hunc diem semper qui ad hoc studium ita se contulerunt, ut in philosophia consenserent, eos cum instrumeto & cibariis venire oportuit quasi irèt Sumtrium, ut Plautinum hoc loco usurpem prouerbium. Neque hæc, Here, quum fiducia benignitatis tuæ facio, fidem meam periclitari opinione inq; non recordor, posseq; me in ius vocari eam ob spōsionem ad iudicium hominum doctissimorum: ut si in fraudem hac spōsione iuuenes attraxisse captionemq; videar, & me & prædes meos stilis indignantium ac frenementium cōcidì visurus sim & lacerari. Sed cum ad hoc studium omnia mea pignora, omnia ornamēta, postremo spes omneis meas meorumque etiam nunc contulisse videar, quid iam habere potero reliquum cui metuam, si hæc mihi atque aliis expectatio in te positæ, decoxerit. Quod autem ad commune eorum pertinet, qui ad literas perdiscendas & docendas ob eam expectationem incubuerunt, tanta est animorum alacritas, ita spem propositam audiè auribus haurire illi solent, cum hæc & huiusmodi tanquam tuis verbis, non à me modo, sed etiā (quod aliquantum me subleuat) ab aliis pronunciantur, quibus excipere vocem ex ore tuo sæpe licet, vt non tam spe homines suspensi, quam expectatione certa ericti gestientesque videantur. Credunt enim hæc velut oracula fundi ab Apolline (vt dicitur) responsa, hoc est à maiestate tua atque liberalitate edita in interiore adyto, & fide gentilitia sancta & confirmata. Sed ita ut antistitem me tibi esse principem, oraculorum huius generis, inuito me illi quidē & reclamante, sed tamen meo vel merito vel culpa mea sibi met ipsi persuaserint. Quocirca etsi compertam me habere & perspectam voluntatem tuam confido, quod quidem ad iuuandā & ornandam Philologiam nostram attinet, nonnunquam tamen reputare mihi subit si secus quippiam euenerit (multa

enim mortalium consiliis necopinata impendent, multa etiam
inter calicem & labra (vt est in proverbio). Sed si quid non
ex sententia cesserit, Here, quid me tum futurum est diuini bo-
ni? qui sponsonis asseclam noxam esse, cum haec futura reci-
pio, non meminerim, vel oraculo testificante nobilissimo. Ve-
rum hoc omen (vt spero, vt confido, vt non dubie auguror)
magnificentiae tuae aureaeque fortunae genius primo quoque te-
pore auerterit. Profsus quidem, inquit Rex, cum deo bene
iuante: & quidem prima quaquam opportunitate, quam mihi
ocium ab instantibus negotiis largietur, congiariu illud Phi-
lologiaz tuae pronunciatum, bona fide dabitur, ad quod allu-
dere sermonem tuum iamdiu odorabar. nec ideo tamen a te
aut ab alio tui ordinis admoneri, atque etiam appellari me veto,
fidem ut a te data mea causa, ab aliisque liberem: qui tam pecu-
niae constitutu haud cunctanter strenueque fecistis fiducia nostrae
pronunciationis fideique palam obstrictae getilitie: non mihi mi-
nus sancte, q Stygos olim nume fuisse deis poetae cecinerunt.
Id vero constitutu ego, vt mandato meo factu, & agnosco libens
& ratu esse iubeo: tantum abest vt a vobis laudatus auctor in
tanta causa, vos in lite destituam. Quidni enim, Here, id
non hæsitanter faceremus, qui & voluntatem tuam exprom-
ptam, & facultates nulli non voluntati pares esse sciremus?
Sed enim quid tua efficere auctoritas benignitate coniuncta
possit, si Museum extruendum (vt expectamus) curarit & man-
darit, annuisque cōgruis & mēstruis fundarit ac stabilierit, in-
de aestimari potest. Etenim quasi illa pollicitatione nobili
atque etiam omnibus nota, utpote palam ac testato pronuncia-
ta, iterumque interallo satis longo repetita, tesseram quan-
dam vigiliarum studiosis hominibus dederis. omnes iam ferè
ingenio felici ingenuaque voluntate natū, è veterno pristino
incuriæ ac secordiæ excitati sunt, liberaliaque studia capesse
re, id est literas bonas lautiorésque, certatim institerunt, na-
uiterque colere, quippe egregii tui propositi institutiq magni-

fici obsides habent regios prælectores: quos famę tibi suffragio commendatos, specimenq; sui ac doctrinæ antea factitæ, stipendiis constitutis auctorandos mandasti, cum eos etiā coram verbis benigne singulos appellatos me spectante, cohortatus prius essem. Mādaui vero (inquit), à te cōmonefatus quantopere iam flagrarent homines iis studiis literarū, quæ tu dicere mihi soles expolitionē esse humani intellectus, quasiq; corruptæ humanitatis elaboratam quandam reconstructionem. Et vero tu eadem hac de re mecum s̄æpe egisti, cum velut deprecandæ offensionis gratia dices, te conuentus Philologicī actorem designatum omnium suffragiis, id à me contendere. Quod nolim (vt dixi) existimetur mihi molestum esse, ne iniucūdum quidem. velimq; te huius mihi quasi æris alieni è rationib; meis honorariis expungendi, assiduum admonitorem esse: nec ideo deterreri si interdum aliud agam, hoc ipsum te agente. Vereor enim ne in usuras quoque appeller ab ipso musarum choro, quas debere me fortasse existura iamiam die nonnulli arbitrabuntur, vt sunt iudicia imperitæ rerum multitudinis. Equidem, Here, & si dimitti flagitatores istos Philologiæ nomine exopto & percupio, quorum verbis necesse est vt s̄æpe te admoneam, & velut iam moratis munificetiæ interpellem, tamen usurarum nomine reprimitem neminem æquum & bonum quicq; à te petiturum, qđiu prælectores supradicti, aut eorum similes annuis honorariis ornati & allecti, publice profitebuntur. Sít modo hoc semel ac satis nobis cautum, ne qui sub Palladis signis merent, vñq; centurientur expunctis (vt Plautus inquit) in manipulis. nam cum inter optima nomina illā maiestatis tuę pollicitationem habeamus, quid est q; magnopere angamur, quoad hoc quasi interusuri p̄sistabitur, vnde spem expectatiū interim alere & sustentare possimus, qlibet id auentē. Vídete igitur (Rex inquit) ne nomen hoc locuples quidē & idoneum, sed idē tardiusculum esse existimetis, immo vero vide tuipse stipulator

DE PHILOLOGIA

Philologiæ, ut dies promissi donatiū cesserit & venerit. huiuscemodi enim nomina non in præsens plerunq; sed in diem contrahī solent. Hoc autem ipsum eo amplius in hæc si non verba, certè hanc ipsam in sentētiā conceptū est, quod quidem commodo nostro, quatenusq; è republica & quando futurum est. Sanè quidem (inquam) Here: & vero si res esset priuatæ controuersiæ, non placiti principalis legum nexu soluti, ex æquo tamen vtiq; bonoq; disceptaretur, quod ius plenum est indulgentiæ, nesciūq; summi iuris: quod vinculis forensibus vtitur. Neq; nos nescii sumus, pace quamvis iam cōfecta, omnibusq; numeris pacificationis, ac multis pignoribus tranquillitatís coagmētata, nisi quid fata (vt fit) moueāt inuitis mortalibus, tamen reliquias negociorū nō mediocres superesse, cum rei numinariæ difficultate plurima, quarū rerum explicandarum ratio antiquissimam curā poscit, nulliōq; posthabendam. Interea igitur cum tu mihi admonendæ tuæ maiestatis fiduciā vltro feceris, non committam, vt causæ ad me delatæ (vt dixi) & receptæ, & vero vt tuæ voluntati egregiæ, defuisse videar & regiæ, quodq; nunq; in rebus mihi stipulandis facere potui, vt os natura verecundius q; meorum rationum familiæq; intererat, suffricare hīmet ipse imperitarem, quoad rem meam aliquantum auxisssem, conditio nemq; amplificassem: multis me amicis, vt inscitè atq; intempestiue prudentem veluti cubito crebro perpellētibus: id ego sub hac persona strenue (vt opinor) & præfidēter fecero: quā tua mihi benignitas induit cum conuentu Philologico. Verū vt eò rursus quò tendebam redeam: quantum in singulis tuis verbis, Here, atq; etiam nutibus positum sit, ad flectēdas voluntates hominum, & quo velis cunq; circumagēdas, ex eo declaratum est quod nuper exoptandū nobis euenit. Hac enim animi proclivitate ad literas bonas fouendas, quam haud ita pridē & præ te ferre cœpisti & verbis expromere, literis etiā Græcis ciuitatem (vt ita loquar) in Francia tua dedisti, tam-

et si ciuitatem dico in Francia? immo vero in regiam tuam
aditum hospitalem, festuum & plausibilem. Nam quod
Philologiæ nostræ riuales nobiles iam non paucos habe-
mus, nonnullosque domesticos tuos, & circumpedes fa-
mulos: ne id quidem modo, sed proceres & puberes hono-
rarios, & pueros discophoros, literis Græcis imbutos:
(quod inter huius temporis paradoxa præcipue numeran-
dum duxerim) nihil aliud causæ est, quam quod cordi tibi
esse cultiores literas iamdiu innotuit. Quare simulut à
curis antiquioribus feriatam mentem habueris, ad instru-
endamque illam perpoliendæ humanitatis officinam ani-
mum applicueris, magnum vtique atque memorabile ope-
ræ premium protinus, æternumque feceris. Quantum enim
diui iam immortales, quam amplum, quam ad memoriam
tui principatus memorabile futurum esse censes, Pæ-
dæ illius olim celeberrimæ, cum Romanæ, tum Græ-
cæ, diuersorum, domicilium, sedes denique ac tabulas in
patriam deportasse aut ascivisse? Quale porro additamen-
tum, quantumque huic vrbì florentis quondam Romæ nunc
propemodum æmulæ, fore existimandum: in quam tute lon-
go interuallo larem regium retulisti destinatione animi, si
camœnarum ædes ipsi pro ornamento insignique acceſſe-
rit? Equidem ipse dignam causam esse arbitror, quamob-
rem subſtruendis fundamentis, regia tua maiestas insigni-
bus regiis gestaminibusque ornata, primigenium lapidem
iacere non grauetur, cum ipse in forma operis eius arbī-
tranda, architecti prius munere perfunctus sis. Hunc enim
diem posteritas, quasi natalem palingenesiæ literarum in-
genti studio colet & celebrabit. ne eum quidem modo, sed
etiam ipsius quinquatrigia & octatria. Neque vero si in hoc es-
se tui similis perseveraris, sati s̄ esse arbitrabere, rei tam me-
morabili insigniæ futuræ, tum titulum atque auctoritatem

DE PHILOLOGIA

regiam impertire, tum sumptus suppeditatorem benignū es-
se: nisi operis quoq; totius amplitudinein, descriptionē, ratio-
nemq; architectatus fueris, (quod in multis operibus egre-
giis fecisse te nouimus) & veluti primā manum operi, sum-
mamq; accommodaris. Regiæ certe magnificetiæ est, & tuæ
animi magnitudinis atq; prouidentię huiusmodi mausoleum
extruere, omnibusq; partibus absolutum in regium modum
reddere, in quo viuis (vt aiunt) & videns nominis tui atque
animi memoriam incisam esse noris, perpetuumq; manibus
tuis monumētum futurum. Dignum certe prorsus opus, per
(inquam) opus dignū, quod à te ipso inchoetur, Here, simul
atq; vacabit, accurateq; & amplè absoluatur: non quod hære-
di mandetur absoluendum. cuius tu exactor ipse sis, nō man-
dator. quod tuis non tantum auspiciis, sed arbitratu tuo fiat.
deniq; quod tibi superstiti Philologia, non manibus tuis tan-
tum & memorię, supremisq; mandatis debeat. cuius tu ma-
gnificetiæ recordatione atq; conscientia diu superstes senexq;
perfruare. Nam vbi tandem potius nominis tuo, atq; honorifice-
tius parentari te adhuc hic agente, vbi te fato perfuncto ani-
mæ tuæ sanctius venia dei exposci & religiosius, quam in eo
loco poterit, qui omnium gentium conuenis frequentabitur, bene-
ficio tuo obstrictis? Id certe nominis tui monumentū, tanq; lo-
co semper vernate situm, indies efflorescit. Nam cū illic Frā-
cia seminarium habitura sit elegantiū hominum, doctrinaq; iu-
sta & multiplici expolitorū, quod ex tuo instituto custodibus
publicè prepositis, diligēti & exquisita scholarum disciplina
coletur, nimirū ex eo velut alueario Atticæ & Romanæ elo-
quētie, examina (vt ita dicā) iuueni quotannis, omnes in par-
tes nobilissimi tui regni dilapsura sunt, que gloriam & decus
pulcherrimi instituti vbiq; illustrabunt gētiū. Verū enī muero
Here, cū hoc in expectatione nobis tā certa positū sit, vt alias
res iam curare atq; agere possimus post geminatam pollicita-
tionem, & conceptis verbis agnитam, amplius etiam à te hoc

postulandum habemus: quod nisi me longè fallit opinio, iam exorsis non grauatè confessim attexueris, cum sit illis magnopere consentaneum. Népe(inquit) ut Philologie post annua constituta annarias quoq; leges, & candidas petitionum, & gradationem solennem fortasse, classemq; suam attribuam, scansili expectatione ornatam: id enim ex iis quæ in querimoniam deduxisti facile coniicio. Hoc ipsum, inquam, Here, parerat omnino si commode constitui potuisset, certisq; finibus temperari. quod quoniam non potest, id modo postulamus, vt nos ex capite tantum censis, vel ex prorsus non censis, inter ciues, in classicos iam censosq; facultatibus primariis transscribamur. deinde ut in comitiis flaminum, curionum, archiflaminum, honoratorumq; sacerdotum, primatum, & coenobiarcharum atq; pontificiis, Philologorum nationem ita commedatam velis suffragii tui prærogatiua, ut candidatos Regis esse eos homines intelligent. Inde enim sequetur, ut gloriofissima apud omnes ordines Philologia quamprimum esse incipiat & gratiofissima: simulut primores & proceres ordinis consecrati, homines doctissimos habere non modo inter comites, sed etiam inter beneficiarios suos cupiant & euocatos. Nec nobis iā dictis facultatibus vel censis vel censendis, aut primam aut secundam classem petimus (noli enim, Here, probè, quæ constitutio classium fuerit olim apud Romanos) sed ut iustæ, germanæ, humanissimæq; doctrinæ(ut olim appellata est) auctoritatem, in omni parte reipublicæ fundatam ve- lis & stabilitam, atque ita per omnia membra fusam, ut sanguis & succus ciuilis corporis esse existimetur. ita enim fiet potissimum ut loco iam & gradu moueri Philologia neque at: nec ab suis inimicis imperitiæ patronis & cultoribus, è medio rursus ut superuacanea exigí & explodi. Sic autem homines docti & prudentes sentiunt, gymnasii instituti extructio nem tanquam fundamentum ædis esse Musarum: at literatorum hominum ornamenta, velut exædificationem ipsius esse

DE PHILOLOGIA

musei atq; expolitione in. Profecto (Rex inquit) Budæe, non
primum aut secundum locum tuæ Philologiæ (vt dixisti) pe-
tis: sed summum, imum, & medium flagitas subsellium in
consensu reipublicæ: congruenter iis utiq; quæ antea dixisti.
vt ea facultas, quæ orbis disciplinarum oram circūfusam cin-
git & cludit, etiam ad centrum ex omni parte ipsius circuli
tendat. in eo enim puncto finis est (vt opinor) situs, & velut
scopus hominum qui ciuilis ratione vitam sibi agendam esse
instituerint. multiplex quidem ille pro ingenioru animorumq;
varietate: sed tamen eò spectans, vt quam potest quisq; com-
modissime inter ciues pro captu suo vivat. Verum eniuero
cum sermonis nostri progressus inoffenso satis cursu porrò
iuisse mihi adhuc visus sit, hic ego tamen aquam (vt dicitur)
hæsuram ad obicem suspicor: quem haud scio, an amoliri no
pronum futurum sit. Velim igitur vt quod Philologorum or-
dini petis, quasiq; iure & æquo postulas, id commode quoque
fieri posse doceas: ac si factum fuerit, id è republica futurum
existimationeq; nostra atq; regali. Ecce autem eo adhuc lo-
quente, importunus quidam nobis reiq; literariæ obnuncia-
tor aduenit, qui colloquium huiuscemodi repente nobis, dire-
mit quod hactenus feliciter ac sine interpellatione cesserat.
Quod cum ego fremerem ac gemerem in ipso pene cardine
causæ in quo summa quæstio caputq; vertebatur, & iudicem
mihi eo euentu ablatum, & coronam dilapsam esse, cogitare
tamen cœpi, posse & aliam fortasse occasionem sarcindæ dis-
putationis, ab eadem fortuna restitui quæ ipsam ademisset: id
quod si eueniret, fore putabam ipse vt id aquæ quod fluxerat,
causæ non periisse mihiq; videretur. quapropter ei deinde oc-
casioni imminere accurate institi, metuens ne longiore inter-
vallo ægre conglutinabilis esset, cum differendi alacritas &
materia iam refrixissent quæ commode antea incaluerant. Ec-
ce tibi igitur tandem, cum dies complusculos vigilem & fre-
quentem apparituram à primo accubitu ad clausulam epula-

rum regiarum fecissem, natus sum forte (ut dicitur) fortuna quod captabā. Rex enim qui tunc vel anagnostē operā plerūq; dare solet, vel si literati viri adsint, eos quæstionibus ē re natīs iucundē ipse ac ciuiliter exercere, aut inter se committere, me vero non in postremis, inde mecum sermonem appositum exorsus est, vnde ego statim eum in memoriam reducere in terruptæ dudum sermocinationis potui. Huic vero sermoni posteriori librum alterum destinandum esse censui, quoniam prior visa mihi est disputatio ad iustum excreuisse magnitudinem.

DE PHILOLOGIA LIBER ALTER.



VI prius igitur illustrissimi Príncipes, eruptā mihi in círculo occasionem perorandi, questus fueram atque ingemueram, simul atq; sensi redditam mihi in manum ansam pertexendæ sermocinationis, præclare mecum egisse fortunam intelligere cœpi, plaudendumq; fuisse & gratulatione dignum quod ægerri me tuleram. Nam cum antea mihi pertimescendum esset, ne longius producta loquendi viciſſitudo tedium Regi afferret, auriumq; fastidiū, iccircoq; aquam mihi fluere iamiam desitaram semper existimaturus essem, factū est eo casu, aliquot ut dierum intercedéne īstaurata audiēdi voluptate, tanquam denuo refusam mihi occasionis manu aquam in clepsydram interpretarer. Ab integro igitur opportunitate arrepta redordiendī quod inchoatum à me erat, aut iam orsis attexendī quæ animus ferebat, Res nata (in quam) Here id ferre mihi videtur, vt sermoni tuo nunc respondeam, quem improuisus casus excipiens, ad hodiernum diem quasi comperendinavit. Hinc autem si placet auspícabor. Cū literæ vere latinæ annos plus mille inter mortuæ fuissent, græ-

DE PHILOLOGIA

cæ etiam concilatæ cítra mare Ionium , & tanquam funere elatae ac conditæ , iāndiu tamen in Itália , regione literis semper hospitalissima , rediuiuam auctoritatem ac splendorem vtræque habere cœperunt . cum interim Alpes mulis etiam clittellariis peruias , armillatisque tabellariis cursu diurno ac nocturno superabiles , literæ ipsæ bonæ transire aut nequiuuerint , aut respuerint , vt quidem ad nos accederent : quasi commercio nobis earum adempto , aut nostro illis interdicto . quoad tandem tuo appetente prícipatu , ipsas pedetentim quasique sese dissimulanteis , Philología mihi primo nostratum , & (quod equidem nominim) vni diu , verè familiaris , ingenti contentione accitas , ægræque euocatas , ea hōspitalitate prosecuta est , vt iam ipsæ diuersari in Francia non nollent : quanquam vel vnum præter me , æque eo nomine nobilem , dare cognitorem nondum poterant . Nuper vero ex quo fauor tuus ipsis non obscurus accessit , non modo apud nos tuosque omneis passim peregrinari , sed etiam ad nos immigrare prorsus constituerunt . quod sine captione aliarum gentium factum esse non nescius sum . In omnibus enim prouinciis , in quibus incolis illis esse contigit , liberaliter , comiter , benigne atque ambitiose , æmula contentione acceptæ sunt . Proinde ipsa Philología earum nobis conciliatrix , vt dixi , atque proxenetria , semetipsam & literas utriusque linguae veras , puras & germanas , ad fidem tuam liberalitatē mque confert , vt eis in Franciam tanto ex interuallo redeuntibus , iustum esse primum iubeas postliminium : deinde ad tribunalia , ad subsellia (vt aiunt) stragulæ que liliata , ad collegia honestiora , ad amplissimos ordinates , aditum eis pandas , ibique sessum mandes admittendas : quibus in ipsis olim literas ipsas bonas clara sui documenta dedisse , antiqua monumenta testantur . Prisca rum enim literarum splendori , caligine multa ignorantiae

priuatim ac publicè offusa , homines vere litératí in scenam reipublicæ, atque in solem (vt dicitur) & puluerem forensem non prodire, non in gradibus sedere, non in orchestra viderí, vt homines sine re sine lare , solítí sunt : ob idque nullo loco numeroq; haberí : certe quidem vt nihil notæ in abaco arithmetico , loca tantū lacunosa inaníaq; occupare. Litéris igitur conuersione temporum tuaq; commendatione in lucem atq; in publicum, ex vmbrotili studio ac labore doméstico ex euntibus, in classes utiq; litératí viri iam permulti, in priuasq; centurias equitum & patríciorum pro cuiusq; captu referendí sunt. Regiae porrò vocis fauorisq; prærogatiuam, cum omnes tribus príncipum , procerum, patríciorum , atq; omnium ordines ducentium, protinus secuturæ sint, nullum maius ope reprecium, Here, facere maiestas tua potest, quām si & rebus (vt facis) & verbis, luculentas significationes dederis quām tibi ex animi sententia sit litérarum bonarum illustratio : si maestos esse virtute, studioq; pertinaci & constanti, aliquot eorum iusseris, qui rei amplificandæ curam, ambitionisq; studiū, litérarum peritiæ iccirco posthabenda duxerunt : quod lucripetas homines atq; ambitus asseclas, Philología è familia sua summouere vt spurios nothosq; , solita est. Id bonū & æquum esse, id bonis moribus conuenire, idem è rei Francicæ existimatione, regiaeq; benignitatis illustratione futurum, nemō non arbitrabitur litéris non iniquus. Ita quod bona pace tuæ maiestatis, Here, dixisse mihi liceat, non video prorsus, quo in obice aqua nostri sermonishereat, quod tu in altero sermone nostro suspicari videbare. Neque enim iam vt antehac, clitellæ bubus impositæ videbuntur, cum honores vel ciuiles vel prætoriani, litérarum studiosis mandabuntur: quasi asinini tantum tergis, quod ad lítaras bonas attinet, instrata huiuscmodi sedeant . Nisi vero litérarum splendor, decus humanitatis, index & prolator ingeniorum in vmbra atq; in te nebris exedrarum conspicí & eminere potest: in luce & in sole

non potest. neque tu, Here, qua ingenii bonitate natus es, dixeris sic homines studiosos & literatos, in instituto vita tenebricosae, splendida fama esse, ut caudices quidam putres & aridi, noctu demum fulgent, aut nitidulae volitantes postquam contenebrauit: aut si quædam sunt alia eiusdemmodi, quorum splendor euanidus in luce exolescat. Mihi vero literati homines sic in hominum grauissimorum celebritate illustrari posse videntur, ut carbunculi, cæteraque ardentes sua vi gemmæ, ad solem flagrare solent: & oratores tum maxime disertæ & eloquentes fiunt, cum maximam & honestissimam coronam sibi circumfusam esse sentiunt. Neque enim æque doctrina facunda esse potest in toga & in purpura. neque tam in plano, quam in loco superiore: qui cum ipse audientiam liberam vni cuique largitur, tum fiduciam facit auctoritate subnixâ. hucque pertinere puto antiquum proverbiū, Magistratus virū ostendet. Ecquid igitur (Rex inquit) Budæ oblitus es, te me audente pridem aut dudu paru certò memini, sed tamē aliquando dixisse, Mineruam illam iudiciale, squallidam & horridam (sive illa est musa quædam crassa atque rustica, natalibus tetricis oriunda, & virus barbaricum olens:) ita à vestra Minerua lauta atque urbana abhorrere, Romanî fori odores sensusque prisci referente, ut in eundem ægre hominem ambæ corire sine collisione non possint, grauique offensione? Atqui ipse memini cum diceres, iuris vtriusque disceptationem usumque fori formularem, ita nunc esse constituta, ut si quis elegantis Mineruae quasi iuris sui retinentior, virus illud hircosum & alpinum censendo vitare vellet, antiquamque notam dicendas sententiae quoquo modo imitari, iuris periti nomen protinus esset opinionemque amissurus: duntaxat opinione & iudicio hominum eius ordinis, quæ multo maxima pars est eorum, ut aiebas, qui fata iurisdictionis regunt. & ut consecrata in ceremoniis sacrisque faciundis verba mutare nefas esse ineptumque existimat: ita istu iuris interpretum sermonem, verbis mul-

tis permixtum, è foro, non quidem Romano ac subselliis dīcato, sed olitorio potius & boario suarioq; collectis, tum resonantem illos, tum plaudendū esse putare, atq; ad dīcendā sententiam plenum auctoritatis. & villicum cōmendat (vt aiūt) animæ graueolentia, index alliatí pulmentarii. Quem errorem ysque adeo aiebas inyaluisse, vt antiquorum iurisconsultorum verba, barbaris illis, tanq; festiūoribus cesserint, aut significatiōribus. Hūc igitur obicē necesse est vt summuueas, nīsi aquam vīs hærere. et si enī libens īā facere solitus sum, vt quos stipendia multa secūda fama feliciterq; fecisse sub signis Mineruæ vestræ comperi, aut ciūlibus honorib; ornādos, aut sacerdotiis īubeā: tamen ī iudicandī munerib; hoc semper exceptum volo, nīsi ciūlis iuris atq; pontificiū vīsusq; adeo forensis, īperiti reperiantur. Quippe qui intelligā nec ciūiles facultates, nec vīsum formulatū iudicialiū, nec opinio nem integrā ī quoquam desiderari oportere, qui iudicandī munere functurus sit. Id vero præcipue ī iīs obseruandū est, qui ī curias summas cōsiliaq; adoptantur: quoniā ita de causis ipsi disceptant omnis generis, & iudicia agitant tum capi-
tis, tum fortunarum, tum fori translationum ī iīs reis qui se exīmī ciūli cognitioni postulat cœlibatus vñcti patrocinio, vt ad maiores īde iudices prouocatio non sit. Quare (vt no-
sti) ī eos, qui à nobis codicillos eiusmodi muneris impetra-
uerunt, antequam magistratum īneunt, exerceri legē censuræ
probatorię finimus & iubemus, à maioribus nostris sanctā.
nec anteq; doctos & experientes curiis sese designati ipsi pro-
barint, aut iīs qui explanatores designatorum ab ipsis delecti
sint curiis, rata esse nostra beneficia volumus. Voluisti vero
Here, inquam, eam legem valere semper: & cum cæterarū le-
gum gratiam quibusdam quasi tuis candidatis diplomate fe-
ceris, neminem vñq; quod meminerim, sic exīmū habuisti,
lege vt exploratoria solueris. Ceterum tantum esse dissidium
hoc tempore non puto īter Mineruā Philologiae nostræ nu-

men, & illam quæ intra cancellos & fori & curiæ, sanctius q̄ par erat, & superstitionis, multis iā aetatis culta est, ut aliquatenus inter se conciliari nequeant. fuit ea tanta perdiu dissensio, nunc, vt nihil non dies affert, societatem illæ quidē coire, ceterum nō omnium facultatum, non ægre vt spero persuaderi poterunt: & vero si auctoritatem regiæ maiestatis interponere non grauabere, etiam facillimè. Profecto, inquit, interuētor rei bona, claræ & probabilis futurus est, cui agglutinatori ipsi contigerit esse & dictitari elegatis doctrinæ atq; sermonis, cum iurisprudētia forensibusq; muniis. & quidem libenter ad eā rem perficiendā operam nauauerim, si fieri posse comperero non ægerime, nedum auctoritatem meā auspiciaq; regia accommodarim. Vide vero Budæe, vide in qua etiā etiamq; rem vt satis cōsideraris, nec intercessores huius coeūdæ societatis cōfestim duos, eosq; peruvices habiturus sis: morem vetustum cariosi illius sermonis ac mucidi, in mentibus hominū inustum, qui in cunabulis rancidis & barbaricis educati sunt: amoremq; alliatæ illius hircosæq; Mineruæ, cum tabulis ipsis forensibus sic, vt ita dixerim, fixū, inde vt reuelli sine seditione nequeat. hunc nodū nisi solueris, id quod agis nunq; expedieris. Quid si (inquā) Here, tragœdia in coœdiām incurrire, & hæc in illā interdū sine offensa potest, quod Horatius auctor est: desperare debemus patriciam & equestrē Mineruā, cum plebeia atq; officinaria, in loco, inter dumq; posse nō dissidere? Sed fac esse difficillimū. potest ne quicq; quod bonum, æquum & honestū sit, non pronis bonorum animis, regiæ auctoritatī, non secūdis classifierū volūtabibus, iudicio tuo & sanctioni cedere? atqui digna res, Here, mihi esse videtur, quam propter & fidem tuā ipsi & manū implorare debeamus & impetrare: vt Alexandri magni exēplo, si ita res tulerit, gladio imperii abscindas quod à nobis enodari ratiocinando nō potuit. Sed enim q̄ facile nō dico imperio exprimere principali, sed equis efficere plurimorū animis possis, eruditior vt illa ornataq; Minerua, ius dicēdæ sententiæ in

curiis habeat, & vero populariter ipsa, secundisq; auribus plurimorum atq; animis, censeat, inde intelligere possumus. Fuit ex quo certissime res huiuscmodi memini, atq; adeo fuit adhuc iam te Rege, cū politior haec eruditio sermonisq; lautitia, ingrediendi fori, & repaguli curiae superadi, prorsus insolens & videatur & esset. & si quado quis paulo liberalius institutus (qd tam raru erat q Alcyonē videre) rogatus sententia, quidpiam censendo protulisset doctrinę melioris & elegatis, vniuersi statim ut confessus obtutu ille obrueretur, quasi quid designasset & admisisset reclamatione dignu. adeo trita & duriuscula fronte opus erat, qui quicq; huiuscmodi in mediū cū fiducia afferret. Mihi vero ex quo & in curia urbana, & in hac tuī comitatus assecla, & in omnibus curiis, ius dicēde honestissimo loco sententię, beneficio tuo cōsecutus sum, ita fere cōparata cēsendi ratio fuit. In tyrocinio magistratus huius initii, morē aliorū cū aliquo téperamēto sequebar. postea quasi pedetētim & verēcude Philologiae meq; ornamētorū nescio quid, mecū in iudiciū ferre, cū pretexta (vt ita dicā) & insignibus institui. Id cū ego iure meo facere equissimo cuiq; viderer, quod notū omnibus erat quo ex loco, quoq; nomine à tua maiestate in eū ordine traductus essem. primo nō ingratū, deinde satis populare esse cōpīt. id adeo, vt dimisso nonnunq; cōsilio à quibusdam æquiorū reuocarer, tanq; acroama quod placuisset. quod quoniā accidebat, cū quædā quasi sententiae condimēta spargeāre, que recōditæ apud collegia doctrinę, atq; foro inaudite, instar quoddam habebant, ea vt sorberi potius auribus, quām regūlari ab aliquibus possent, cōpī hæc verecundius deinde usurpare. Sed quia rursus interdum cum loquendo incaiuimus, difficile est & scitum & appositum verbum tenere, quod etiam non meditatis interdum inter buccas sese offert, mihi nonnulla & musis, vt ille olīm Antigenida, canēda esse statuebā. In deliberationibus aliquando insigniorib⁹ (nō semel enim neq; iterū tantum hoc genus quæstionū, tempore meo in curia centenaria extitit) ita euenire memini, Qui à Minerua

Attica & Romana sententias mutuari verbaq; ausus erat in sententia dicenda: si scite, & ad causam tempusq; non inepte id facere videretur, & ex eae idem suo illa non ex alieno proferre, ipse ita feret audiebatur, quasi personae olim aduentitiae, aut eiusmodi acroamata, quae aut miraculi aut hilaritatis gratia in medium interdum prodeutia, videmus specimen sui plausibiliter facere. Gracilis etate, vocat. Nunc eiusq; profectum est & in toga & in praetexta, (vt omnia feret usum eualescunt, etiam concessu multitudinis) certatim ut quisq; iuniorum praesertim, velut in ludo nitidiore versatus & institutus, lepores sermonis, sententiarum priscarum auctoritatem, figurarum troporumq; gratias, denique sententiae expromedae concinnitates, cōtroueriliarumq; exponendarum, aucupetur atque veditet. adeo Philologiq; nostrae supplex, res suapte natura iucunda & grata, omnibus probare sese iam cœpit, colédamq; præbere, quibus se cumq; vel tantulum indulxit. simul enim (vt Ciceronis verbis utar) asperita & probata est, vt Minerua quondam Phidiae. Nam paucorum ducendam ratione nullam censeo, qui nimium memores ruris cunabolorum, olétisq; pulticulæ, & squallide (vt ita loquar) incocti rusticati, alliatis magis epulis & succidia rancida, q; iucundè cōditis gaudet & opipare. huiusmodi enim sunt, qui pinguis illius & plebeiae Mineruæ rudimentis perdite imbuti, in eius disciplina libetes acquiescunt, cuius etiam modi in omni arte professioneq; sordidi quidam atque horridi reperiuntur. Qui cum in prelis situ obsitis annosæ imperitiæ, striaturam suam ceperunt (vt est in proverbio) semel atque irreplicabiliter, spei iam sunt depositæ, emēdationisq; nesciū. hos Mineruæ equestris & patricie discipuli & cultores, cum audiūt differentiis, tam in iucundè ferme afficiuntur, q; ego in stupore aliquando dentium seras exacuentem audiui, aut pumicem secantem, aut asperges suberos. At illi latine loquétibus sic aurum vicissim accommodat, vt aselli (quod dicitur) ad lyrā ipsi esse videantur. Quaque illis fortasse non nihil venia habendum est, in quibus temporum infelicitatem

ea de causa miserari magis, q̄ culpā inscītiæ reprehēdere iure possumus: si modo æquali sibi literatura acquiescere, nō etiā gaudere præ se ferat, puræq; anteferre. Hic Rex ore renidētī cīrcūstanteis perlustrās, En(inquit) societatis cōglutinādæ exordiū, quam iste meditatus est, & coitu facilē esse cōtentit. Iungentur iam gryphes equis, vt puer audire memini: Saturnū & Iouē eodē in homīne videre erit cōsociatos: & vtrāq; Mineruā eadē in ara venerari licebit, si Budęo credimus, qui tantā antīpathiæ intercessionē sustulit. Nō in eadē ara Herre(inquam) fortasse: neq; enim sunt illę deę, quod Gręci dīcūt ὅμοθώμοι, vt Venus & Gratia, sed in eodē delubro. est em̄ est hęc animorū dissensio, non tā homīnum q̄ temporū, nec à naturę vi dissidentis & renītentis nata: non magis q̄ illud, quod morib⁹ non rerum dissidio inualuit ad hūc diem, cōsensuq; multitudinis inuenit patrociniū, vt sermonis lautitię & nitores, vltra lustrale(vt sic dīcā) labellum nō admittantur in tēpla, tanq; & aqua & igni sacris, interdictū sit illis. Tum vt intra repagula(vt dīxi) tribunalis curię, iidē nuper nō ingredērentur, quasi iuris dicēdi munerū nō capaces. Indidē etiā enatum, q; verba gręca non ita pridē in cōetu aut in cōciliis grauioribus plata à cēsentibus, dira & malefica, & fulmen(pro pē dīxerim) elicere credebantur, vt magica, tonitruq; ciere. Hęc enim & alia huīuscemodi, causam illa quidē publicam, morib⁹ receptis corroboratā habēt, & tamen perridiculā apud homīnes rerū intelligentes. Illud vero penē inexplabile propudiū est hodie iuris dictionis summæ, quod latini sermōnis illūnies cōmētitia, exquisitęq; fœditatis barbaries, ē tonstrinīs, ē sutrinīs, ex cīrcūforaneis locis studiose cōuerſis, collecta & corrasa, in actis (si diuīs placet) curię, & in formulis decretorū ipsius, summa & solenni religiōe dedicata est. cū alio, qui curia cētenaria, in qua regia maiestas sedendi ac cēsendi prīcipatū obtinet, sentētiasq; rogādī, cū assēssu. xii. prīmorū Fracię, nulli nec priscař nec nobis equalium cedat ampliū.

dine, grauitate, maiestate, iudiciorum & consultorum auctoritate, duntaxat secundum Senatum Romanum, atque eum duntaxat qui sub Cæsare Augusto & ante eum fuit. Vnum sane hoc ipsum ex omnibus est institutis, que cariosa illa, quasique nostratum aboriginum pinguis Minerua nobis peperit, quod ætatem iam prorsus ferre nequeat. Hic cum Rex quid indignitatis esset, ex me percunctatus intellexisset, aliquot enim exempli gratia vocabula, quæ mihi tunc subierunt, ex illa colluie cetarii fori falsamentarii protuli: indigna quæ extra scenam prodeant, quæque sine honoris præfatione in cœtu latinorum, aut citra veniæ petitionem audiente Rege, proferri non impudenter nequeunt. Rei igitur putorem cum Rex subodoratus ex illo specimine in vniuersum esset, Profecto(inquit) hæc mihi verba non Latium, nō rostra, non subsellia Romana: sed alpinam latinitatem & montiuagā, sed lanienas & sutrinas redolent, aut si quis est alius locus & ager rusticitatís pudità & obsoletæ, desputandæque retinentior, nostram certe & curiæ regiamque omnino maiestatē imminuere & lädere illa sermonis spurcitia mihi videtur, nec vero regiam modo maiestatem minuere, sed etiam ipsum(pene dixerim) numen iustitiae lädere, cui solenne puluinar non semel nos decreuimus quod vulgo lectisternium vocant. Id quod semper in more fuit regibus facere maximis de rebus relaturis ad curiam, omnibus suis numeris & classibus frequentem & celebrem, duodecim(vt dixisti) selectis primoribus euocatis, ordineque confidentibus. Verū hæc inquit fortasse tum viderimus cum aliis nonnullis, quæ recocinnatricem haud dubie manum poscunt, cum feriatos ab iis esse licebit quæ curæ sunt antiquioris. Ceterum inquis(vt suspicor) vsuri sumus, atque reclamitoribus illis quos dixisti infeliciter antiquariis, qui auitam, prauitam, vermiculosamque Mineruam, venerandam esse credunt, vt æqualem pietatis atque innocentie, consertisque manibus publice retinendam & adorandam. Quod autem ad

curiam attinet (inquam) Here, auctoritati tuae rationi^q (vt reor) æquis animis cessuri sunt, si adurgere institeris. tametsi quis est, qui hac literarum claritate, non ad imum exhausti-
dam tetram illam sentinam ducat: quæ auribus hominum iā purgatoriis putidior esse videtur, quam ut vtrà ferri pos-
sit? Sunt tamen (Rex inquit) qui aiunt mala quæ inuetera-
uerunt, interdum utilius esse immota prorsus manere, quam
turbulente moueri. Non negauerim (inquam) Here, non
defuturos qui vetent eam camarinam tangere. quosdam etiā
clamose intercessuros, quo minus religione nō contemnenda
curia obstringatur, si quicquam ex prisca illa maioribusq
cōplacita latinitate, & veluti consecrata mutetur. Sed tamen
Here, id augiae (vt aiunt) bubble primo quoq
tempore repur-
gandum est, quod in dies putoris incrementum accipit ex
colluuiione verborum: que etiam ipsa colluuiies in omneis Frā-
ciae partes graueolenter redundant, ob late patentem curię di-
tionem. Quare vel exprimendum hoc istis vel eblandiendum
erit, vt aut latine loquentem regiam maiestatem in curiae con-
sultis sententiisq
velint, aut certe sermone vernaculo longe
nitiōre, quam ille est commentitius & barbarie concretus.
Næ, & maiestatis tuae refert, Here, & curiae dignitatis vt id
effectum huic ætati præbeas vel vi vel clam vel precario, vt
inquit ille amator Terentianus. Precario quidem illud (in-
quit) potius certum est, mihi tentare. sed tamen si porro im-
proba paucorum coitione curia esse obstinauerit (quod futu-
rum non puto:) nec mihi sese dare indulgenter non summo
iure agenti, non opinor committam, vt ignorasse modum re-
giæ potestatis in causa tam æqua videar, aut ipse impar fuis-
se paucorum pertinaciæ. Neque vero nescius sum in armamē-
tario monarchiæ multiplices esse machinas, quosdamq
ad id olim comparatas, vt illis ea exprimantur quæ impetrari
postulando nequeunt. Sed veteris instituti fuisse nouimus, vt
curiae Areopagiticæ dignitatis æmulæ, que eximia semper re-

gibus habita est, duodecimq; primorū Franciæ collegio quasi
insigni emblemate, nobilitata, propter augusti confessus am-
plitudinem, rara senatus consulta reges expressa voluerint ne-
cessitate & imperio, quapropter ipsi quoq; maiorum auctorita-
tate & aliâs adducti, libenter hactenus fecimus, ut que ab ip-
sa decerni classib; (vt fit) coactis, interesse rei summæ com-
perimus, allegatis viris primariis è nostro selectiore comita-
tu atq; contubernio, postulare potius, quàm mandare decer-
nenda soleamus. Sane quidem Here(inquam) id recte atq;
ordine cum faceres, ipsiusq; merito curie(que seueritatis exi-
stimationisq; maiestate vt vere tu dixisti, martie illi Atheniesi
& nobili non cedit:) ex tua humanitate id facere nobis visus
es: nedum eorum è more regum, quorum iucunda & festa me-
moria in ore est hominum ob placidum ingenium ipsorum &
clémentiam. Qui etsi iuris sui prudentes & consulti, & potes-
tatis regiæ non ignari fuerunt, tamen principum placiti po-
mœria, à quibusdam longius latiusq; lege magis imperiali
quàm regia prorogata, intra æqui, boni, & honesti ambitum
contrahenda censuerunt: quandiu rerum diuina benignitate
potiti sunt. Nam machina illa toto(vt ita dicam) organo mo-
narchiæ instructa & contenta(quod imperium appellant ab-
solutum, quasi iuris atq; legum nescium) est illa quidem legis
imperialis atq; etiam imperiosæ æmula, & à regibus identi-
dein in edictis veteri instituto citata: cæterum perraro ad cer-
vices honestæ, piæ, francæq; libertatis inflectendas & infrin-
gendas: ab optimis principibus, tuiq; simillimis, adhibita &
usurpata. quippe que ad ultimæ difficultatis tempora ad eu-
etus necopinatos, ad tabernas(vt aiunt) occlusas, ad iustitii de-
niq; edicta, in tumultib; nobis abominadis, destinata sit & re-
iecta: iccircoq; in armamentario sanctiore continenda, situ &
squallore obfuso, & claustris ferruginosis occluso. Verū enim
nero de abstergendo ex actis pædore illo barbarico, curie co-
sultum simulac tu velle cœperis, auferemus. Si non e blandi-

tum (vt dixisti), certe molli brachio erexit auctoritatis regiae, non illa briarea manu placiti licentioris extortum, non minaci & sublata, aut capulo innitente. Et sunt fatales quedam temporum rerum vicissitudines, quae res quamlibet arduas, confestim planas reddunt, versanteque se occasionum cardine, deinceps magis ac magis pronas. Nam literarum restitutio atque cultus, nescias proclivioribus ne fatis, an animis cesserit, postquam eò homines incumbere bona fide coeperunt. Francia vero tua earum illustrationem non multorum annorum felicitati debet, ingeniorum fertili: & tuæ benignitatí, qui earum studium partim elogii prolixí & frequentis suffragiis, partim liberalitatis admíniculís sustentare insituistí. At quām opportune: quām in articulo (vt dicitur) id facere diuinitus in mentem tibi venit: cum quidam homines factiosi, literarum Græcarum nomen apertis coitionibus circumuenire, decurias & allegatis declamitatoribus obterere, decretis incōsultis præcipitibus & crebris pessundare conniterentur, ad extremumque proscribere. Nunc vero exibilata à pueris eorum temeritate & audacia, ob libros maxime Græcos tabernę & officinæ bibliopolarum visuntur & frequentantur. Iudic scholastici conuentusque studiosorum, vocibus prælegendium Græcorum scripta personant. Id adeo euauit ac in dies eualescit, luculentaque incrementa accipit, altero vt crure (vt ita loquar) calobatæ ii existimentur hodie, qui ad illum sæpe dictum orbem disciplinarum circumeundum, librīs in lingua latīnam versis vtuntur pro autographis ipsis Græcorum. Huiusmodi temporum opinionumque conuersio in tuum principatum, Here, incurrit, tuisque auspiciis breui (vt speramus) futurum est, antiquaria vt illa manus, columē factionis misologicę, supercilio tantum amictuque censorio venerabilis, stare iam in theatro secundis admurmurationibus nequeat: cum omnes (vt dixi) centuriæ haud cunctatè secuturæ sint regiæ proclivitatis elogiique tuū non obscuri grauem & plenam auctoritatis pre-

rogatiuam. Iam uero attica illa pædia, quæ mihi iam pene vi-
ro morose admodū sese & fastidiose indulxit: tametsi ambitu
gnauo ac strenuo fidem eius implorantī (amore enim ipsius
insano correptus, perdīus (vt dicitur) & pernox limen eius oc-
centabam) nunc adolescentulīs , ac pueris passim morigera
est. adeo tam nihil ferum est, quin diu tractando discat man-
suescere. Feram ne igitur tute tandem (inquit) doctrinam
græcam appellas Budæe, & tibi fuisse dicis adeo intratabi-
lem: quam mihi saepe commendando, ceream esse aiebas, viti-
liq; quadam lentitia flexibilem, ductili etiam facilitate stili
scriptitabitibus mire obsecundantem. Enim uero Here in-
quam, id verbum (vt fit) temere mihi ore excidit, contrā q
animi mei sensus ferebat, feram vt eam linguam dixerim: cum
Græco sermone nihil lenius esse sentiam & sequacius: atticū
eò amplius, suauem supra mel hymetium semper esse duxe-
rim, & tropis ac figuris lectori scriptoriq; mire lenocinantē.
Verum infantia (vt sic dicam) eruditōnis meæ , qualis illa
fuit cunq; & ipsa descendī incunabula, in id tēpus inciderunt,
cum ipsa lingua Græca vix prodere nomen suum auderet, ne-
dū mihi sese credere homini ex memetipso nato, & qui cogni-
torem vix ullum ei dare possem. Id adeo, vt lumbricus multis
esse diu visus sim (vt Plauti verbo utar) qui è terra tunc ere-
psissim, quod quidem ad hoc institutum vitæ pertinet . Quo
nomine non despicere ac miserari sortem meam æqualiumq;
meorum non possum, præut est huius temporis iuueniū (vt
dixi) condicio, omniumq; rerum opportunitas ad studia co-
lenda vtraq; lingua, qui viam eam munitam complanataq;
nacti sunt, quam nos arduam permensi sumus & salebrosam.

Memini vero, Rex inquit, quandam dicere aliquando, te cū
fictorem tuī non inuenires, ipsum tibimetipſi informatorem
ac Prometheū esse voluisse. idcircoq; non magnopere vitio tí-
bi vertendum , ab hominibus æquis , si quædam in te hiulca
fortasse & aspera, ad vnguem seueritatis non cohærent. Qui

artificio nullo, instrumento exili & incommodo formatus, etiam
expolitricem manum adhuc desiderassem. cum eo quoque, quod
in cunctis fere artibus, eos demum exacte institutos esse dici
solet, & palaestram artis tenere, qui ab ineunte statim aetate in
Iudum ac disciplinam dati sunt. Id quod sero tibi contigit: si
quoquo modo contigit, certe quidem inter nostrae militiae ex-
perientissimos conuenit, vix iustum equitem esse posse, qui non
equestrem disciplinam auspicatus sit, priusque ex ephesis exces-
sit. Utinam autem, Here, Prometheus (inquam) tantum, ac
non germanus eius fuisset Epimetheus, quorundam opinio-
ne. Quid id est tandem (Rex inquit) qua de causa Epime-
theum te etiam fuisse dicas: audiuisse enim memini de Epime-
theo qui fratri coelibatus auctori dicto audiens esse noluit. an
te penitentia igitur, quam aut cuiusmodi uxorem, aut quod o-
mnino uxorem acceperis: parum rei Philologicæ fortasse cu-
uxoria conuenit, quæ examen ipsa curarum in comitatu trahit,
quas illa plane ut libera & cum liberis agens, respuit. Non
ea res (inquam) admodum male me habet, Here: non tam isto
rum prudentissimorum simili & riuali esse mihi libuit, ut bea-
tum illum & suauem amassem, sic arcte complecterer consta-
terque coelibatum, & cum eo mihi metuvi indulgerem procul
omni anxietate: non tam Prometheus esse mihi contigit, non
vism est, non libuit. statui tandem cum plurimis non excor-
dium hominum, periclitari eam vitae condicionem in qua na-
tos esse se omnes existimari volunt, etiam qui non natū sunt.
nisi si qui sunt qui in notham gētilitatem principum sese ad-
optant, à quibus agnoscantur. Altera est etiam mihi Pädora,
quam Epimetheus fecisse me nonnulli arbitrantur. altera in-
quam mea coniux, quam saepè Philologiam nuncupādo, vereor
ne obsolefaciam, præterquam etiam quod à plurimis nūc at-
trectatur, cum vni mihi nostrorum olim esset contubernalis.
quæ cum deorum omnium muneribus ornata, locuples, cumu-
lataque à nobis esse dicatur: tamen multorum opinione, ieuna-

& egenti sapientia prædita est magis, quam prudentiae dote
beata & exoptanda. Id quod sero ego intelligere cœpi, & no-
xa iam contracta ab eius contubernio: vt olim illi Epimetheo
vſu venit, post Pandoram admissam & deductam ab ſe domū
vt errorem admissum perpenderet & aestimaret. Ad exor-
dium huius sermocinatioñis (Rex inquit) Budęe, tute reuoluī
velle videre, ſi tamen ex animi tui ſententia, non aliquorum
tantum loqueris. Id enim uero velim (inquam) Here, deus di-
uiq; vt prohibeant. Me ne vt Philologię mea pertefum fit un-
quam aut pœnitere poſſit; quę mihi iam doti omnia bona ſua
dixit: quibus ego in bonis cornu illud copię vberimum ſem-
per eſſe censui: non vſcq; adeo ſapientiam præ prudentia con-
temnendam eſſe reor. Quam ego eti procis à paucis ita uti
par erat flagitatam & expetitam ſcio, tamen locabiliorē eſſe
cēſeo atq; dotatiorem Homeri Alphesibcea, à dote insigni
nobilitata. Verum ex opinione illorum loquor, qui illius Mi-
neruae ſacramento dixerunt, quæ ære tantum numerato homi-
nes auctorare nouit, non etiam annona antiquę ſapientia, quę
ſtipendia ſunt & emerita mentium ingenuarum. At vero ut
ad rem redeam quam narrare occuperam, ita mihi res erat
nata, vel temere concepto literarum amore, vel aspiratu quo-
dam natalitio, vt cum eam feram (iterum enim feram dicam,
quando hoc verbum adhuc mihi inter labia oberrat) obſcuris
vestigiis ac iam prope nullis indagare iſtituisse, fugacibus
illa quidem me illecebris exerceret: non tamen eo vſcq; vt aut
exanimatum redderet, aut labore fatigentem, ne ut in vestigio
quidem paulisper iſſiterem, aut dieculam vnam intermitten-
dam ducerem. Ut autem rem absoluam, non nihil Here nūc
per telicebit tuo ut ex ære mutuer. Tot illa me fera fugax, fal-
lax, lubrica, tamq; lögis anfractibus, perdiu frustrata eſt: quo
tibi cursim venanti & quo modo mæandros (ut ita dicam) fu-
gæ implicare iſignes cerui ſolent, cum illud Dianę latrabile
ſatelliū truciq; rictu terribile eos ē vestigio ſequitur. Tum

Rex ore hilariter díducto, Tute vero (inquit) vt audíó Bu-
dē, & vt cōiicere possum, ex Cōmentariis illis Græcis quos
mihí nuncupasti, istius feræ tandem quamlibet fruстрatricis,
ambages explicuisti: & tanq; in penetrale labyrinthi perseue-
rantię ductu gyroq; insinuās, ferā ipsam (vt audíó) in latebra
sinuosa se condentē, ad extremū ita comprehendisti, vt iā mā-
suescere non nollet. Nos quoq; in illo, venatu præcipiti atque
irrequieto, non ante cōtentione remittere solemus, q; ceruū
à nobis exagitatum, ita exanimatū cernimus, vt iam latus fer-
ro pr̄beat: quod olím in theatro facere (vt nosti) gladiatores
iam fracti & semineces solebāt. id autem nos pernici & perpe-
tuō agitatu irrequietoq; consequimur. Deprehēdisse certe,
inquā, Here me spero, latebrāq; eius iunioribus atq; integris
ipsum iā fessum, ita aperuisse & indicasse, cōprehēdi vt ab iis
possit, nec in posterum fallere, si paulum admittantur. illa por-
ro vt etiā feritatē ponere: vulgoq; tractabilis esse, nedū cuiq;
solertiſſimo. At in illo montiuago tuo venatu, nec alipedis fe-
re pernicitas, nec veteratricis vafricia, quarūdā (vt audio) pe-
nè præstigiatrix, venatici comitatus fugere sagacitatē potest,
vestigiis ſemper harentis: non magis, q; corpus vmbra fugit,
aut q; priores rotæ quadrigarū, lōgiuscule pr̄terire posterio-
res poſſunt. Quòd si vis inueniendi (quā Homerus ille sum-
mus antiquorum sapientū, propriā hominū eſſe dixit, homini-
busq; ingenitā, quos ipſe ideo alpheſtas ſæpe vocauit:) si vis,
inquā, illa inuētrix tā certa in hominib; eſſet, aut tā raro pec-
cabilis, q; eſt in canib; venaticis vestigatio: illis præſertim
quos tu inſtituēdos in ludo Dianæ tuæ curasti, multo minus
homines in inuentione errarent. Nā quæ tandem se tibi subdu-
cere fera poſſit, aut fato ſe eripere, cum vestigatores famulos
habeas artis callētiſſimos, hiq; moloffos echemythos quasiq;
canes Pythagoreos manu regāt, modereturq; & imperitē eo-
rum audiſtati: quorū fit prudētia vt fera in dagationis orbe in
lusto ſuo cīrcuēta, canib; excuſorib; improuiso obiūcia-

tur, qui recentia perlustrat & odorata vestigia fugitatis, iisque
pertinaciter instet. Hæc autem exercitatio antiqua originem ha-
bet, auorumque & proauorum memoria miris artis praceptis iu-
cundisque constituta est. à te vero, Here, ita culta & ad fastigium
solerti expositioque perducta, nihil ut reliqui posteritati fe-
ceris, quod inuenitis tuis adderet & maiorum. duas enim exercé-
di corporis species imprimit elegisti, venationem id genus & al-
teram aprorum, & Troianam sub armis decursionem in hippodro-
mo, laceis plerisque pyxidatis aut alijs hebetibus: non tam ipsam
atrocem, quam minacem quadam in speciem & infestam hoplomachiam.
atque ita ceteris ferè omnibus in utraque prestare te docuisti, ut
in iis ipsis artibus non modo egregius, sed etiam ab omnibus
Roscius esse censeare. Quod in his artibus dico? cum in quo-
cunque genere periclitari corpus ingeniumque voluisti: cuicunque (ut
Greci dicunt) palestre vestem ponere exuimus instituisti: id simul ac
facere studio acriore coepisti, in tuo fere semper puluere versa-
ri certareque visus es. Cæterum (ut dixi) venatorio ludo ultimos
(ut fama est) plenosque numeros addidisti. Spectauim te non se-
mel cupidissime in preludiis decursionum, socero tuo adhuc
rege, cum ante oculos eius (ut moris est) cum turma tibi peculari,
& tessera tua insigni, saltabunde transueherere, & iterum ludicro
peracto, cum exodiū classicum quasi plaudite ultimum tibicines ca-
nerent. quo spectaculi genere à puero vehementer delectari so-
litus sum, propter equitatem in adolescentia studium. Verum cum
tu in equo voluntate insistes nihil oscius hæreres, atque si femi-
nibus cum ephippio, calcibus cum subicibus pedaneis coaluisses,
memini tu quoque mecum dicere, non equitem te equo insidetem vi-
deri, sed hippocentaurum esse: qualiter, ut est apud Xenophotem
in Paedias Cyri, Chrysantas homo Persa esse dicebat, vici-
sim (ut ille ait) coagmentatum & compactile, & rursum diuiduum
& exceptile. Qui cum eques eiusmodi sis, rursum pedibus ingre-
diens, aut inermis aut semiermis, decet corporis proceritate
vel Orionis illi inclito cedere non videare, quem etiam ipsum Ho-

merus venatorē fuisse prodidit. Manedū mane (Rex inquit) Budæe: de me aliâs fortasse, deq; arte equitâdi: in quâ tu quasi desultor ab arte venatoria repete transiliuisti. Vereor em, ne dū ab insituto digredimur, fera illa quâ sequebamur, quoquo abierit gentiū. artis est em venatoria, succidaneā ferā vitare, & quâ primū destinaueris, eā vñā vrgere. Equidē vitiū nō esse, Here, magnū rebar (inquam) in cursu nō magnopere cito, quadâtenus in finitima animi causa digredi, quasiq; respire rare paulisper. equitatio aut in vicinia est equestris & rapida venationis, vt mihi quidē videtur, qui artis vtriusq; video studiosam esse nobilitatē. Verū quandoquidē vltrā excedere tua me vetat maiestas, iam hinc ad cursum sermonis nostri reuerter. Cū igitur in ista arte multa sint memoratu digna, quantū ipse capere qua oculis, qua auribus potui, tū vero hoc quod dicā, imprimis est memorabile. Moris est tibi, Here, iisq; qui principali apparatu regiisq; copiis instructā exercitationē ipsam habet, non gregariū ceruum, non quēlibet etiā soliuagū venari. solenneq; est vobis nō minorē ad cursum eligere, q; qui iuste proceritatis esse videatur. Id autē non aspectu modo cerui, sed plerūq; ceruinis vestigiis, excrementorūq; stercusculis iudicatur: quæ inuēta venatores diligēter colligere solēt, atq; intra cornu venaticum cōdere. Sunt & magnitudinis indicia: affrictus ad arborū stípites, qui cōspicui sepe sunt intra fines stabulationis eius: tum cubilis inuenti amplitudo, & substramentī laxitas vbī interquieuerit. haec em & alia renunciari in concilio venatico à vestigatorib; solent: quos velut mācipes habetis instrumenti venatoriū atq; mīnisteriū, eorūq; arbitratu cōcilio saltuēsi dīmisso, venatū cōmittere soletis. quod sermone peculiari dicitur, ceruū aut ferā cuiusuis generis canibus permittere: & copulas canū quasiq; iuga soluere. Proinde & inueniēdi & inuētū cōprehēdēdi vos magnopere certā, aut mīni me certe erraticā viā persequimini ac rationē. Emuero (Rex inquit) Budæe eō sensim pgressus es digrediēdo, vt mihi ferā

DE PHILOLOGIA

tuam illam græcā & fugacem, pro derelicto habere videare,
dum obuiam tibi factam aliam quasi opportuniorem conse-
ctaris, qui ex tuo currículo in nostrum quasi imprudens dila-
plus sis, in quo te existimo aliquando fuisse exercitatum. Sed
tamen cum tu in iuris nostri spatium penitus ingredi nō veri-
tus sis, iubeo te porrò pergere, ac veto sine cōmeatu regredi
aut dīgredi: quoad intelligam, ecquid ē cōmentario (vt aiūt)
in hoc sermone facundus esse meditatus sis: an oculis etiam
aliquando venatus processum tenoremq; arbitratus. Equi-
dem Here (inquam) & si mihi olim contigit ociosè venatum
spectare indagine circundata præfinitum, ita vt nō modo nu-
merum venantium augerem, sed etiam vt penes me essent au-
spicia priuati venatus in quo exercebamur: hactenus tamen
præ me semper ferre volui, me velut hospitem & peregrinum
versari in hoc sermone, in quem nunc non destinato & consul-
to, sed aliud (vt fit) ex alio dīcēdo dīgressus sum. Itaq; vereor
etiamsi minus tibi (qui omnia animo plusq; ciuilī interpreta-
ri soles, quæ homines tua humanitate freti corā te proloquū-
tur) at coronæ isti videar ineptire. quippe qui coram te, qui
apud te, qui ex æquo pene loco tecum hisce de rebus differā,
quarum rerū Aristarchus inter artis cultores auctoresq; tu-
vus esse diceris. non aliter atq; peripateticus ille quondam
Phormio philosophus, merito irrisus est, qui apud Anniba-
lem de imperatoris officio orationem habere, & de stratego-
matis ausus est. Age, age (inquit) Budæe, pertexe quæ ex-
orsus es, & pone metum à corona circunfusa: quandoquidem
id per me licet, & tibi parere necesse est. cuius auctoritatis pla-
citiq; patrocinio, facile apud omneis te tuebere ab ineptiæ cri-
mine. Nā & ego interdum de studiis tuis aliorumq; loquor,
cum me in alienum ludū pedem ponere oblectandi causa ani-
mi meminerim: & cum de iis (vt fit) sermocinando censeo, pe-
driam me sententiā habere nec ignoro, nec ægre ipse (vt de-
beo) patior. Siquidem (inquam) Here ars est pene vlla ho-

die celebrata, in cuius ludum minime ventitasse te quisq; cre-
dat, qui scite differetem te omnibus de rebus audierit: & si o-
mnium minime hominū fucatas species peritiæ præferre cō-
suesti, & ostētare. Qui etsi in huiusc generis disputationib;
non tam vel regio iure, vel priuato sententiam dicere solitus
es, quām in alterutrius partis sententiam transire: periti tamē
& prudentes intelligunt, curulem (vt ita dicam) sententiā sæ-
pius tuam esse, dignamq; in quam pedibus omnes transeant,
qui perūcaces stulte videri nolint. Verū age, si ita iubes, ve-
recunde vtar, Here, venia à te concessa: immo vero te iubente
& imperante vel ineptire sustinebo si res ita nata sit. Vereor
enim ne intempestiuo pudori cedens, in rusticitatís crímē in-
cidam fiduciā etiā mihi facit non modicam, quod te s̄a pe-
de venationis arte ita sermocinantem audiuī, vt eius artis di-
scipulum forsan agere iure possim. Quem ego compertū ha-
beo in ipsa ferarū exagitatione, omnia venatoris munera ex-
quī solitum esse, pernici cursu venatus spatia permetiendo: cō-
traq; ceruī vafri (vt vos dicitis) & exercitati, strophas, vena-
torias antistrophas ex tempore cōminiscendo: deniq; per sal-
tuosa loca, per densa, prērupta, spinis obsita, manus ori in cur-
su oculisq; prætendendo: cum interim per stationes dispositas
ex equo exanimato recentem in alterum, atque in aliū non
nunquam assilias. adeo tu non præceptis tantum artis atque
exercitatione, sed Dianę magisterio mediis in saltibus usus es-
se mihi videre. In aprorum autem lustra pedem omnino non
inferam, ne altius in luto hæream. & si te aliquando in sylua
densiore spectauī spumantem aprum ex equo laceſſentem, ir-
ruentemq; vltro eundem mucrone confidentem. cum ego in-
terea tutus, inermi cum comitatu, carbasseum septum curricu-
lo ambirem in equo sedens: capiteq; supra carbasa eminens,
certamen ipsum arbitrari oculis, atq; circūspectare sine discri-
mīne possem. Suspēso etiā gradu ea via ingrediar qua tu me
pergere iubes: pedēq; referā q; citissime potero, bona (vt scio)

tua venia. Noui enim Here, quod turpe sit, & pene ignominiosum, in huiusmodi theatro offensatorum esse. Quis vero nescius est, cum de venatione arte, de aucupatione, de castrensi & militari instrumento, de apparatu bellicaru copiaru sermo in comitatu praesente te & arbitro excitatus est, quod callentem esse verborum oporetur, quod accurate omnia tanquam numerata habere, quam sollicitum & anxium, aut certe quod impudenter esse & ineptum, qui ibi disserere sine summa religione audeat: hominem dico, non in capitis, non in sylvis, non in castris institutum. quare in hac via mihi & insolita & formidolosa incedere pleno gradu nequeo. Verum Here cum harum artium cunctarumque nobilitatis exercitationum, sic rationem universam teneas cum decore & palæstra, ut qui unius artis maxime: cum in ipsarum disceptione linguam facundam imprimis & explanatam habeas, cum aureis ita teretes, ut nullam vel minimam offenditionem sine sensu transmittere ac deuorare possint, etiam si dissimiles: denique cum Ohe iam, (inquit) ohe Budę, etiam ne his iam tot dictis denique additurus es: perge quæso aliquando qua cœpisti, nec ultra suspensos auribus nos teneto. Scire enim auemus an Minerua & Diana colloquia serere inter se consentanea didearent, cum ex te aliisque intellecterim orationem latinam hodie in multis partibus vitae, morosam sese adhuc præbere, & restituentem subinde cum a stilo dicitur: siue copias suas ad infinita accommodare grauetur & pigeat, siue copiis huius generis defici se quidem illa sentiat, sed fateri pudeat. Evidem, Here, inquam, copiosam satiæ ac beatam linguam Romanam esse censeo, nec tam morosam aut contumacem explicandis copiis suis esse, quam ob insolentiam verecundari, cum reconditum quid expromere opus est, aut ad nouos usus promere, ut in cuiuslibet instituti, tyrocinio incessere fere pudor ingenuissimo cuique homini solet. Atqui (inquit) si vera sunt, quæ audire ipse ea de re memini, aut pudore illi iam exuat necesse est, qui hodie illiberalis esse malignusque videtur, aut

multis è partibus vitæ latinitas facessat, è foro etiam exploratur, è curia, è basilicis, ne in cōciones quidē sacras prodeat, locisque deo diuisq; nūcupatis arceatur, dum sacrī homines operantur, id quod tu ipse suprā indignari videbare. Itaque iuris diuinī & humanī formularumq; forensium ignara, tum aucupandi venandī studiorumq; fere nobilitatis nescia. in curia muta, in ædib; sacrī locisq; dedicatis profana, denique in omni huius temporis recentiorumq; inuentis infans, in instrumento vitæ, in ornamento & apparatu insolens, in aula erubescens & peregrina, è medio se subducat necesse est, atq; in vmbraculis exhedrarum cum manib; tantum loquatur, & cum vmbrib; Romanæ antiquitatis. nisi ad mores præsentis transcribere antiquas suas facultates, ad usumque adeo nostrum assuecat non grauate ipsas accommodare, quod quidem sine captione iuris sui fieri & quatenus poterit, ac sine dispendio integratatis priscae atq; opinonis: quod tute cauere Budæ & excipere semper soles. Agedum igitur, tu qui linguae latine & parentis eius græcae, acer, ac fidus, sedulusque defensor, ac ne id quidem modo, sed etiam largus, prolixus, animosusq; stipulator apud me s̄æpe fuisti: doce nos (vt dixi) ecquid ipsa versari Latinitas in cōcilio venatico possit, sententiāq; explanate ac diserte in conuentu saltuēsi dicere. Omne equidein Here (inquam) aut præcipuam certe in eo fiduciam pono, primum quod imperio tuo hoc facio, qđ detrectare nequeo. Deinde q; tu ipse talis es qualē ego dicere cœperam & gaudebam, si per te licuisset: postremo, quod cum tu felici, opima, ac beata ista natura tā artiū pene dixerim consultus sis, quam alii permulti disciplina sunt & labore, iudicio tamen uti soles æquissimo & indulgenti, in nostra & aliorum interdum vel culpa vel imperitia existimada. Quare ita tecum disserentis modo verba s̄æpe facio, vt non è loco inferiore loqui me, sed ipse ex quo existimem, cum per tuam id liceat humanitatem & mihi, & aliis, duntaxat qui fidem tibi fecerunt non

leuissimam ingenii sui & industriae. Proinde ut quod agitur, iam agam. In more est hoc positum, Here, institutisque venerationis (apud eos quidem (vt dixi) qui artis instrumentum & apparatus omnibus numeris plenum habent & absolutum quiq; non capturis præcipue, & augendæ rei culinariæ, sed voluptati student inde percipiēde cum exercitationis utilitate). Verum morē vobis hunc esse comperi, vt ceruus grandis vocetur is demum, qui decem corniculis, quod minimum sit, insignitus est. hunc ego eximum voco & decumanum: nō quasi denarium, sed tanquam eminentem & egregium. Eiusmodi ceruus saepe comitatus incedit uno minore ceruo, qui nondū tutelæ suæ factus sit, quem vos armigerum eius vocatis. ego etiam optionem decumani, & comitem, & parasitum, atque emissarium vocari posse credo. Qui autem cerui ætate adhuc sunt gregaria, aut licet soliuagi sint, indigni tamen venatu iudicantur, quasi nondum annos ætatis impleuerint curricula reiculi (nisi fallor) à vobis appellantur. Mediocrems etiam ceruum venatores cum significare volunt, aiunt ceruum esse venabilem, venabili magnitudine, venatui iam adultum, sed veluti tyronem & nouicium. his enim verbis vtuntur indagatores, cum indagationem antelucanam & matutinam renunciant in conuentu saltuensi, significantes ceruum quasi subducumanum. Conuentus porro sub diuo celebratur, ibi q; cœtu omnem stratum per herbam, in stibadiis q; foliosis discubentem, ac toris viridianibus, epulari moris est circa mensam regiam, aut principis. consilia etiam agitari, quem potissimum ceruum venandum suscipiant ex iis qui digni venatu esse renunciati sunt. Diuersæ autem prouinciae mandari indagatoribus solent, ita ut quisq; suam obeat: in alienam pedem non inferat indagadi gratia, neve in ea quid obturbet, neu pro protestate faciat. Indagator porro cerui vestigiis instat, aut soleatis, si locus viginosus est, vel pluviæ antecesserunt: aut odoris arente solo, ad quæ sequenda molosso vestigatore vtitur,

atq; eo vsq; persequitur, quoad decumanū recubuisse in proximo certis signis explorauerit. Verum ne ille fortasse aut accessu indagantis propinquiore, aut molossi fremitu, aut panico (vt fit interdum) territus, inde excesserit (tametsi enim eiuscmodi canes insignitè auriti, generis sint harpocratici, tam cum proprius accessere, nescio quid præ fero obloqui, atq; gannire plerunq; solent, malisq; increpitare.) ne igitur ceruus huiuscmodi aliquo casu aut culpa, è cubili matutino profilierit, indeq; longius abierit, solemnis est cautionis indagine latiore cubilis locum circuiscibere: molossum numella regentem & compescientem, nec inde discedere, donec exploratum habeat, feram intra spatiū à se círcinatū iacere. Hoc fere modo statores venatici, quasi apparitores quidā Dianii, decumanos ipsos ceruos vadimonio sui fori obstringunt. gyro claudere ceruum vocant, & ibidem sistere. Id quod nisi accurate ac prouide fieret, cum ad commissum ludorum ventū esset, irrita sæpe spectaculi expectatio, cohortem totam buccinatam numellatamq; frustraretur. Tute vero, Here, hanc pro pemodium formulam venatici processus (vt audio) instituisti. Cum post renūciationem circuitorum, de concilii sentētia decumanum vnum aut alterum, ad eius diei spectaculum delegisti (nam interdum pomeridianam etiam venationem matutinæ addere soles, cum succenturiatas copias canum habeas geminumq; instrumentum,) conuentus soluitur. ad vadimoniū locum itur. molossum rursus è loro numellæ, cubilis indicium facit: feram inde impetu facto excitat, quod vulgo lançinare (vt opinor) dicitur. tum decuriæ canum leuis excursus soluuntur: buccinis signum venatus commissi datur, & tanq; bellicum canitur ad canes exhilarandos & acuendos. subsidiariæ canum decuriæ ad locos destinatos dimittuntur, quæ fessis succedant, si res ita tulerit: & aliae rursus ad postmeridianum missum asseruantur integræ. decumanus ipse ceruus canibus excisoribus, equis celeribus, buccinarum clangore,

venatorum clamore, concentu allatrantium canum vrgetur.
Quòd si casu aliquo euenerit, vt ante venatus auspicatum in-
dagator non liquere renunciarit, certamen in posterum diem
reiicitur: aut ceruus coiperendinatur, nam vt diutius specta-
culo eximatur & certaminí, rarissime cōtingit. si nō cœli intēpe-
rie, aut antiquioris curę auocamentis euenerit, velut reus am-
pliatus, primo quōque dīe venatico ad cursum repetitur im-
petu atroci & perūcaci. Illud vero quod dicere cœperam,
præcipua admiratiōne dignum est, Quòd is eximius ceruus,
quem venationi destinatum, canibus peritis magistri semel
exagitandum dederunt, ita in prædam illis obiectus est, vt in-
terdictum sibi esse omnibus aliis intelligent. In multiplicia
autem sæpe vestigia mediis in saltibus vt incurvant necesse
est: præsertim in quibus feri greges sacrosancti sunt legum
regiarum sanctionibus: quas aquarias saltuariasq; dīimus.
Verū enim uero in auspicio venatu nonnunquam noxia ad-
mittitur, & ab ipsis statim quasi carceribus perperam cursus
instituitur, si impostura fiat canibus: quam huiusmodi esse fre-
quenterq; accidere, constat. Dīimus suprà insignem ceruum
ætate & vītu veteratorem, solere satellitem suum ceruum, nūc
pedissequum, nunc anteambulonem habere, quem armigerū
dicitis, quasi grandi ceruo subseruentem. hunc ille insignis in
cubili secum deprehensum & repente emicantem, interdum
canum cæcæ auiditati obiicit, veluti victimam venatrici deæ
pro se succidaneam, præstigia quadam eorum fese oculis na-
ribusq; subducēs. Verum hoc illico animaduertere experiētis
est venatoris, præcipitisq; canum impetus errorem compescere,
& fallaciam cerui irritam solertia sua facere. Id frangere
canes vos (opinor) appellatis, quod significat cursum illū ma-
le cœptum fistere. Agmine igitur retro per statorem illum ve-
natorem inhibito: quod clamoso, crebro, castigabundo vocife-
ratu fieri solet: instauratiua indagatione opus est, & cane rur-
sus numellario, vt agmen excursorium in vestigium maioris

cornigeri reponatur. Qua denuo arrepta, decumanus ille corniger præcipiti primum fuga, deinde ludificante rapitur, loquaci canum agmine certatim eum vrgente, clangenteque comitatu: quoad diuturno cursu fractus atque exanimatus, tandem ab uniuerso Dianæ satellitio circumueniri se minaciter mordicusque patitur, qui exitus est clausulaque ludicri. Post quæ verba quasi penso meo absoluto, cum alio flectere sermonem nostrum pararem, Hic hic insistendum (inquit) Budæe. præ propere enim feram missam fecisti, quasi iam confectam & exanimé. at multum adhuc fortasse superest ei animæ ad cursum instaurandum. Proinde adurgere eam perge, ne interim animam ab integro recipiat, & nobis negotium alterum denuo exhibeat. Necesse vero est (inquam) mihi, Here, summas rerum sequi, qui ex digressione & obiter iam diu euagatus sim: cum eo etiam quod varietati rerum ob inopiam verborum respondere non possum. qua tanquam insuperabilis lebra inhibeor, ne penitus insinuem in vastam illam syluam nomenclaturæ vestræ, quæ linguæ latínæ (vt dixi) pene incognita est. Atqui inquit, cum hucusque pedem promoueris, semianimi feræ instandum, quoad hoc vel spectaculum vel acroama nece eius claudamus. Quid si (inquam) Here, sic sancta est, & rituum vestrorum & saltuensium verborum religio, vt vel tantulum ex tanta copia mutare, pia culare pene sit atque ignominiosum: etiam ne periclitari me oportet, ineptiarumque culpa tandem me obstringere! Vide Here ne futor ego multa iam ultra crepidam, dum imperio tuo pareo. id quod vereri mihi subit quorsum ad extremum euasurum sit, nisi benigna tua venia atque indulgentia artem modo mihi coeptam, hic desinere liceat. Non enim uero (inquit) licebit Budæe, ne frustra sis. Iandiu enim tibi quasi hoplomacho insto, medium (quod aiunt) septum catadromi fugitanti. vide igitur ut iam linguæ isti latínæ hic finis sit delitias faciendo, quam tu mihi dicere solebas longe feliciorem esse lingua

nostra vernacula, amplioribusq; copiis ac splendidioribus instructam & ornatam. meministi enim (scio) te non semel hoc dixisse. quod si vere dixisti, non est hic locus detrectandi speciminiis, sed copiarum protinus explicandarum: cum etiam Latinis & Græcis ars venandi nota atq; celebrata fuerit. Est ita ut dicas Here (inquam) sed non si in vniuersum lingua Romana elegantior esse & vberior nostra à me dicta est, ideo nō in quibusdam nostra felicior est & latina & græca: vt in hac ipsa arte describenda & explananda, in qua certe tam beata & diues est prope nostra, quām græca est in tractanda philosophia. Verum age, ne detrectator intempestiuus esse maiestati tuę circumstantibusq; videar cum ignominia linguae latinæ, quam honorí semper habendam esse duxi: quā potero in salutem diua bene iuuante pedem rursus inferam, quō euasurus cunq; sim tandem. Dixi suprà veteratorem ceruum versutūq; vocari, qui multa & exquisita perfugia atrocis supplicii nouit vitæq; præsidia. At vos maiorū (vt ita dicam) gentium exercitores ferarum, nō vt alii, planum & vafrum ceruum, sed cor datum & prudentem vocatis. multaq; artis vocabula propria iam fecistis: è medio quidem illa sumpta, sed plenioris & venustæ in saltu significationis: tum quidem certe, cum pronunciantur cum sua hypocrisi habituq; venatico: quæ ad emphasis ipsa mire faciunt. Sed operæ est precium indagatores ipsos audire & obseruare, cum ad senatum syluatricum inquisitiones suas (vt supra dictum) referunt, & cū qua de re agitur censere ipsi iubentur à senatus principe, quo tu Here munere persæpe fungi soles. Sermo rarus, & non nisi percunctando expressus. pronunciandi religio maior, quām olim histrionum in proscenio theatri æmulis spectatoribus, non contemnenda autem pars pronunciationis atq; renunciationis, in nutibus, in vultibus, in gestibus, in academica cunctatione & consideratione eminent. Cordatos porrò ceruos & catos esse, & de salute sua cum quodam intellectu mire mereri aiunt ob incre-

dibilem eius animantis solertiā, qua à natura munita est, præter volucrem celeritatem & corniculare propugnaculum. Et hæc tot tamen tantæq; præsidia, paria esse nequeunt arti venatoriæ. Solere ceruos aiunt, simulut senserunt rem sibi esse cum asseclis infestis simul & sagacibus, primū alios aliosq; fugæ lapsus & gyros agglomerare: deinde si porro urgeantur, stabula ceruarum, populariumq; ceruorum diuersoria pere, ibique intra turbam promiscuam quasi intra nebulam erroris canini, se se condere. Interdum gregarios aliquot inde abigere, atque ad aliquantum spatiū permixtū vestigia facere, ad negocium canib; exhibendum. Cum autē aliquantip; per hac ratione contechnati sunt, ab illorum comitatu repente se subducentes: per tramitem deuīum longiusculè abscedunt, deinde intersistunt, ut interim canes vestigia ceruorum aut ceruarū excipiētes, diuersi ab eis auferantur. Cumq; hæc stropharum commenta canum experientissimorum vis odorandi vicerit, circunspectientia vtiq; venatorum adiuta, ad alia denuo se vertunt subsidia salutis, cuiusmodi sunt per sua quadam tenus recurrere vestigia: deinde spiras fugæ intorquere multipliciter & varie, & quām fieri potest perplexissimum raptim longius procurrere. que omnia cōminiscuntur aduersus solertem canū sagacitatem. Itaq; interim dū canes intenti sunt deducēdis elapsibus & extricandis qui ab ipsis ceruis glomerati sunt, spatia magna illi permetiūtur: cū interea buccinariū hortamenta cursitantiū canū hiātē acuant audita te. Mihī verò aliquādo Faunorū clāgore audire, Dianaq; cornicinū, visus sum, cū sylue baubantiū canū vocibus buccinariū clāgore cūsonarēt. Venatorū etiā labore per syluā volitatiū, canes (vt ita dicā) symphoniaci leuat, quoruū cōcerta mirifico nemus totū personat. Solēt autē cerui plerūq; secūdo vēto ferri, treis (vt perhibent) ob causas, principio cū aduerso vēto ferūtur, vētus ore & narib; irrūpes, fauces eorū vēhemēter arefacit, animeq; ductū inhibet, deinde secūdo vēto

cedentes, cum canum vocem facile excipiunt, ex eaque colligunt propinqu*ū* an remoti sint: tum vero olfactu*m* sui sequaci turbat adimut. Inter exempla huius animalis, ultima perfugia exquisitaque experientis hæc cōmemoratu*m* digna cōperi. Verūsum esse certum in armatum bubulum irrumpere, in bouemque infiliente, primoribus cruribus armisque complexum, ad longiusculum spatiu*m* velut equo vehentem, postremis tantum vngulis terram stringere, ut odorem sui canibus, quoad fieri posset, exilē incertumque relinqueret. Ludouico Rege socero tuo, Here, venatoriæ turmæ decurio, qui venator maximus appellatur, ad duodecimum ab urbe lapidem venabatur, viro præsidi id spectaculum gratificans, qui me comitem secum amicitiæ causa eò duxerat. Ibi cum mentio huiuscemodi mirificantiarum certuarum incidisset, recordor eum inter alia hoc affirmasse, Me (inquit) pridem venante, ceruum quendam ab ætate & experientia vafrum, euenit feruente venatu & longè iam progresso, fugitiu*m* ut ille non compareret: & tamen canes nec ultra procedere vellent, nec in sua vestigia redire. Ibi omnes stupere, circunspiceret, inter se aspicere, lapidem (quod dicitur) omnem venatores & magistri mouere. Res erat miraculi plena, & Apollonianæ præstigia similis, quasi sublimis fera aliapes abiisset, aut terra discidente, rursusque coeunte, non compareret, aut oculos nostros canumque præstrinxisset. tandem omnina (ut sit in tali casu) à nobis perlustrando, deprehesus est planus ille cornipes in furto sui manifesto atque memorabilis. Alba ibidem erat spina enata in loco denso atque opaco, qua ad magnitudinem arboream excreuerat. In eam ceruus dolis solennibus cōsumptis saltu se cōiecerat. Stabat autem ille sublimis, ramis fruticis ipso saltu diuaticatis: sic interceptus, inde ut desilire non posset, siue erat forsitan exanimatus: ibi enim quasi compeditus imbellisque cōfectus est. dignus certe ob rei miraculum qui facti truci eximeretur, si deuotæ semel diuę victi me misereret liceret. Sane quidē (Rex inquit) huiuscemodi

præstigiarum animans illa interdum est designatrix: ita ut & classes multas canum quilibet callidorum atq; emuncte naris, ad stuporem venatorum decurias ad inopiam redigant consilii: quod cum euenit, nos vadimonium desertum appellare solemus. Quod nisi eadem hora ille vadimonii desertor, iterum sibi potuerit, diem diffundere moris est, matutinoq; iteru vadari fugitiuum molosso apparitore, nulla solennium cautiuum prætermissa, ne illi ludificatori ceruo impune res abeat.

Immo vero (inquam) Here Chamaleonti & Proteo, cui tam versatilem solertiam natura cum aliis adminiculis tuendae salutis suæ dederit. Atqui (inquit) ut omnes sese in facies Proteus ille vertat, nisi solum quoque noctu verterit, postridie latrables illas manus ac resinas, auribusq; insignitas, minime ad extremum eluctabitur, non si anhelus & astuans in amne se coniecerit, vndisq; secundis vehendum se dederit: quod saepe refrigerandi causa facit. non si amnem traiecerit, ut canum cursum intercidat, non si incitatiore cursu diurnoq; profiliatus, animum iam despontens, vndis potius perire, q; lanaria malit. Mira est certe (inquam) agriophagæ illius turbae pertinacia, dirum autem fatum cornigeræ animantis, cum ad extremum lassitudinis adducta, opperiri cogitur atrocem illum clamosamq; coronam, vndique se rictu petetem minacissimo atq; infestissimo. Qua tandem circumuenta, post omnia salutis presidia deplorata, repente sepe assiliens, primu quæq; venantium in quem incurrit, cornu petere solet, nisi ferro protinus excipiatur. Quod ubi factum est, aut si alias fera afflcta & strata est: tum demum receptui canitur ab eo qui primus in eam confectam occurrerit. Tum simonum chorus ille silonumque inclamat, & venatores coeunt quoquo versus palantes: quæ tanquam ouatio est ob rem bene & feliciter gestam. Quam deinde ipsam excipit visceratio extemporalis, & tanquam extispicina victimæ Diana imo latæ, quæ sic debetur ipsa canibus venaticis, ut libamentum

capturę accipitribus in aucupio volucrī. Visceratorem autē
 peritum esse oportet, qui lanienam ferinam venatoria cū pa-
 laestra exequatur: qui scitē feram deglubere nouerit, membra
 tīmōq; incidere, & prosecare incisam. Tergore autem detracto
 caput absindendum est, molossoq; therelencho porrigēdum
 & permittēdum: quem sāpe indagatorem appellauimus. has
 enim ei primitias peculiares placita maiorum largiuntur ob-
 indicium feræ. nimirum ut in capite ferino lacerando & ob-
 rodendo, fructum nauatae operæ ipse percipiāt ante omneis
 alios, in posterumq; irritetur, is cuius auspiciis ductuq; rē aliī
 executi sunt. cum interim viscerator gratulabūda voce frue-
 ti parte sua animali blādiatur, & tanq; mactum virtute indu-
 striāq; thereléchica ipsum esse iubeat. Deinde venatorię plebī
 infimoq; ministerio venationis, suæ sunt partes viscerationis
 iisdem scitīs attributa. Epulum autem caninum omnibus in-
 vnum euocatis venatorib; & cunctis classib; canum, decu-
 riisq; coeuntibus, fieri hoc modo solenne est. Venatores intra-
 tergus ferinum panis fragmenta sanguine fere madentia, mi-
 scent cum omaso, in minutis particulas conciso. nonnunquā
 præterea si canes strigosí sint & macie exhausti, aut si strenuā
 insignitè operā eo die nauauerint, liberalitatis est venatoriæ,
 opiparis eos impensius epulis accipere, ceruicem extis adden-
 tes, & nōnihil (vt ita loquar) è viuo resecare. Hæc cum recte
 atq; ordine facta, concinnatæq; epule fuerint exerti manu ve-
 natoris: tum deniq; luculentos illos deæ venatricis epulones,
 ad epulum sui generis admittunt cum ouantum vociferatu.
 Nam antea & interim dum epulæ illæ parabiles expediūtur,
 coronę gestientis ac canoræ rapacitas, culinæ cirufusæ nido-
 remq; captantis, à ministris arcétur fustes in manu gestanti-
 bus. Priore porro epulo peracto, fit & alterum eodem momē-
 to, sed non eodem loco: ex interaneis perpurgatis & dilutis,
 (sunt enim hæc quoq; Dianæ sacra eiusq; satellitio) non co-
 cis is frustillatim aut prosectis, sed integris: ita vt cū aliquan-

Indagatoz ramis
 cest le limicawnt
 ge faire le Yelmon

diu illa viscerator sublimia tenuerit & ostetarit, ad irritadum
edacis agminis voracitatem, tum ea demum repete in mediū
porriat. Inter cæsa vero & porrecta, cuncta venatorū cohors
cum auxiliis, & calonibus, sublati buccinis canere capturā
quam vocant, debet, eo quo supra dictum est modo, cum cer-
uus in potestatem venit agminis venatori. Iam vero buccina
turē modos venatores alios atq; alios habet pro significatio-
num varietate: quandoquidem indagatores non alio vocis cō-
mercio vtūtur interim dum in quæstione ceruī sunt. qui absq;
eo foret, aut inter se ipsi cum noxa incurrerent, aut lōgius in-
terdum euagarentur inquirēdo, cum receptu opus esset. Nā
si vnuis forte (vt fit) fortuna, prīmore inquisitione ceruum de-
cumanū indagine opportuna vadatus fuerit, confessim signū
receptus cæteris buccina sua dabit, vt illi ad conuentum ex-
templo se recipiant. Est autem interdum venādī ratio ita con-
stituta, aut casu comparata, præsentī vt consilio opus fit, vt si
diffusus dies hesternus fuerit, & fisti tum ceruus certo loco
non possit: aut si ceruus, qui ad quæstionem destinatus est, sta-
bulum certum nullum habeat: si meticulosus & panico cōster-
nabilis, qui interquiescere interdiu, cubileq; mutare idētide
gaudeat. nam & ii qui recenti venatu exagitati fuerunt, ad o-
mnem strepitum consternabiles, statarii fere non sunt. Sūt &
qui cubili excitati, illico in pedes ita se coniiciant, vt non per
finitima stationis suæ loca cursitare, & commeare remeareq;
soleant (quod plerique ceruī faciunt) sed rectis itineribus
porrò semper excurrant. In hac igitur specie is qui canibus
regendis præfectus est, simulac id comperit, signum cano-
re buccinæ dare solet, vt ii qui in subsidiis locati sunt, & re-
liqui omnes venatores atque auxiliarii, calonesq; venatici, sui
ministerii protinus vasa colligant, cū ceruus castra mouerit.
In superioribus autem speciebus signū copulis soluedis cani-
tur in semita vestigiali, simulut inuenta fera est. Hæc habebā
ferè, quæ de arte hodie clarissima, tuisq; auspiciis, Here, ad

summum sublata fastigium, latino sermone dicerem. Id quod
 nisi maiestatis regiae imperio faceret, non ineptus esse utique ac
 videri non possem. Sed nescio quo pacto aliquando (quod nō
 mio plus q̄ mihi opus erat, maiestas tua meminit) cum huius
 artis eiusq; vocabulorū varietatem admirari viderer, tuq; de
 me quæsiuisses, an latine ars ipsa scribi posset. ego qui mul-
 tum tribuere latīnæ eruditōni gaudeo, in hāc sententiā respō-
 di, Here, (inquam) & huius instituti & multorum quæ re-
 centia sæcula pepererūt, summam adhuc esse verborum ino-
 piām latīnorū video, quæ quidem certè in vsu hodierno no-
 tā perferre antiquæ auctoritatē possint, locabilitāq; esse apud
 eos qui religione imbuti sint Mineruæ sanctioris & delicatez;
 quales iam omnes ferè esse literati & cupiunt & cœperunt.
 tanta tamen est mea quidem sententia latini sermonis utilitas,
 translationum eius vsus tā multis, tāq; fœcūdus significatio-
 num, vsq; adeo morigera versabilitas, tractabilis & cerea fle-
 xibilitas, nihil vt nobis non sperandum sit: si vt ad literarum
 græcarum cognitionem studia exarserunt, ad hoc quoq; me-
 ditandum ingenia incubuerint. Quod omnino futurum est, si
 huic certaminī digna palma proposita fuerit, & corona: non
 lemniscata modo & regia, quales à te aliquando literis exi-
 miis deferendæ sunt, vt & tuis verbis, & significationibus non
 obscuris adducti, credere instituimus: sed etiā si ciuica & po-
 pularis. Simul enim literæ honoris vtcunq; habebuntur, inge-
 nia se proferent olim gestientia. Hæc igitur cum te sciscitan-
 te non ita pridem dixisse, ausus sum sermonem hunc lacesse
 re, cui iam par esse non possem si longius prorogaretur. q̄q
 domesticum mihi habere eundemq; vernam nomenclatorem
 iandiu institueram. ex quo multa discere harum & similiū re-
 rum nomina potuissim, atq; in re præsentī tanquam è penu-
 domestica promere, cum vsus ita tulisset: si omnium dierum
 & tēporū nunc quoq; vt pridem, discipulus esse possem. Verū
 enim uero quod nota & exercita priscis Romanis & Græcis

venatoria fuit, non magnopere nos adiuuat ad verborum copiam conquirendam & colligendam. Nam quae de venatione Xenophon græce scripsit, ad eos tantum pertinet, qui tendiculis ac pedicis, reticulataq; indagine & tibicinibus arresta, ceras & ceruas hinnulosq; , & alia venantur. Nec vero Cephalus, nec Aesculapius, nec Nestor, nec Peleus, ne Meleager qui dem carmine Homerico nobilitatus , nec vniuersa Chironis schola, quos antiquitas ut maiorum gentium venatores fama ad cœlum tulit, ad eam amplitudinem artis & magnificentiam venationem perduxit , ad quam tuo principatu peruenit . Si quidem maioribus omnino auspiciis , visenda magis specie , choragioq; ampliore, hoc ludicum hodie quam olim peragiatur. deniq; tam amplum , sic accinctum & comitatum (ut ita dicam) genium , haec exercitatio nequaquam tunc habebat elegantiam enim & palæstram artis antiqui non nouerunt, quantum coniicere possumus ex monumentis auctorum. Quin & volatile aucupium, cuius est hodie studium flagrantissimum, atq; omni organo oblectandi animi instructissimum, antiquitas ipsa nunquam suspicata est . quod certe mirum videri potest, cum in tatum hodie creuerit id aucupandi artificium, ut nec ardeat nec milui intra nubes conditi, euadere humanas manus possint. immo vero cum huiusmodi alites fulimi petat, cum genere illo prædonum in nubium superficie tanquam in theatro commissi , spectaculum suæ necis præbere adigantur aucupantium oculis : sic vociferantibus auariis dimicantes certamine atroci & capitali, quasi lanistis imperatis. vñq; adeo pollet hominum artificium in auctorandis ac cipitribus, & ad venatum sublimem instituendis & mansueti faciēdis ad obsequium. Enim uero (Rex inquit) et si minime tu quidem de gallinaceo (quod aiunt) in asellum, qui de altero nobilitatis studio ad alterum trāsieris eius perie germanū, velim tamen ut in eo quo de agitur , adhuc paulum immore re , quod mihi paulo magis cordi hactenus fuit semper, pro-

pter exercitationem corporis; et si aucupandi disciplinam non
leuiter colui & exercui, libensq; nūc ipse, sed animi tantū cau-
sa spectare alites illos prædones in campestri & lacustrī riuā
līq; aucupatu soleo. Qui venatus tamen quidam sublimis vi-
detur magis esse, aut volatīcus, quām aucupium: tametsi in
vtroq; ludicro, non tam capture & præde studere instituimus,
quām voluptati aucupandæ aurium & oculorum. Nam vt in
sylvestri venatione omnes aditus ceruīs liberæ fugæ pandi-
mus: sic in illa sublimi & aerea, miluos & ardeas non humi
captare, non in volatu depresso opprimere, aut incautis an-
teuertere solemus. sed alite prius emissario generoso more
vtimur: imbelli quidem illo, sed tamen eas aues anfractu in-
aniter infesto, consecstante & territante, quoad sublimes eua-
serint: cum interīm prædones illos alites, sinistro brachio ge-
stemus, obnuptis capitulis: nec antè manumittamus, quō
sublimius sit aucupium & celestius. Verum ex iis que supra
differisti, nondum plane mihi liquet, attentus ne artis audi-
tor tantum fueris, & auscultator in vmbra culis, an exercenda
rum quoque ferarum in sylvis spectator socius. quod tu non
aliter istis persuaseris, q; si à capite, & velut à repagulis ipsi
curriculi ceruini incipiens ordinē & ductum ludicri explana-
te enarres & percēreas. Ita enim Budæ de arte venatoria dis-
serere ipse exorsus es, vt longe certiora sequi nos videremur
vestigia inuentionis in nostris indagationibus, quām vos scri-
ptores in vestris commentationibus. nimirum qui Dianæ no-
stræ tramites quamlibet (vt appareat) labyrinthos, tamen
minoris errationis esse duceres, quām Mineruæ illius vestræ
quas methodos appellatis. In quo tibi iam videndum ne opī-
nio te fefellerit: qui tantum nari caninæ tribuas, venantiūq;
solertiæ: simul Dianam nostram saltuariam & montiugam,
procul vrbe summotam, literarioq; commercio, iterum latine
loquentem audire nos iuuabit, quod futurum non cogitaram.
Equidem (inquam) Here, quantum ipse meminisse possum

siue eius rei olím arbitro & spectatori fuisse mihi contigit, siue fando audisse & didicisse: venator totius ludicri architectus, antequam manum excursoriam soluit, ita vniuersi actus scenam instruere potest: sic secundarum ac tertiarum partiū manus locis opportunis locare: plusvt in sua industria canūq; natura docili, positum esse confidat ad prædam illam palmarē, non sine multo puluere sudoreq; potiundam, quā m nos in nostris commentationibus auspīcandis situm esse in nobis merito sperare possimus. Vix est enim, ut ita descripta omnia sic digesta habere nos queamus, eorumq; coagmentationem compositionēq; expectationi hominum responsuram, confidere ut merito debeamus, laborum nostrorū clausulā, vos plaudite, futuram. cum interīm venatores instar prope dixerim olympionicarum, clamore, canore, clāgore, testari ac celebrare exitum certaminū suorum soliti sint. Nec si actus nostri statarii sunt & vmbatiles, vestri motorii & pulueris excitatores, ideo nostri minus turbulēti sunt, animiq; exercitatores. In vtrisq; vero summa voluptas est cum bene instituti sunt & opportune, laborisq; vehementis sensum ex aquo prope adiūtis. Verum quod me syluis cursim egressum, Here, iterum reuerti penitusq; insinuare in eas iubes, vereor si imperare per texeris, ut perinde iterum inde pedem referre possim: ita plenæ sunt interius salebrarum opacæq; densitatis. vbi si deprehensa latini sermonis elegantia, quasi iam inops & exhausta hæserit, num inde tandem ipse reuerti, & velut pro derelicto illam habere, sine criminē temeritatis potero? Nam quod semel in aspera & sibi inaccessa vt descenderet auctor ego ipsi fui, id mihi non imperium modo regiū & auctoritas, sed asperctus iste summæ humanitatis index & fiduciæ largitor expressit, quodammodo vel excussit: cum sermonis tui lepore atq; illecebra, quæ mihi obrepserunt incauto, & quo progrederer nō prouidenti. Quin & rei venatorię syluam, vt sentio, incompositam fundere tibi vīsus sum, nec recte & ordine de

arte differuisse. Id quod si iterum committam ut faciam, non video quid mihi aut insolentis sermonis crimen, aut inepti ignominiam vel leuare vel deprecari queat. Agedum (inquit) age Budæ, & bono esto animo. ars enim ipsa venandi suapte natura liberalis est, & amoenitas sylue in qua nuc spatiatur, tibi materiam affatim in re presenti suppeditabit. cuius ipsam utiq; benigna esse suggestricem oportet, cum tu materiam primam appellatione sylue significari, mihi non pridem tute dixeris, ut meminisse video. Ibi tum ego quasi regi dans manus, Quod felix igitur (inquam) faustum, fortunatumque sit, Here, mihi vniuersoque nominis latino, ingrediar iterum fiducia tuae humanitatis, atque indulgentiae plus quam sodalitiae: easque mihi praesentis cuiusdam mercurialis numinis instar esse existimabo. & ita ingrediar pedetentim si potero, ne ad caudices cæcos (ut aiunt) aut cespites, in opacis locis offendam. Sit autem hoc mihi ab eadem humanitate tua & cautum & exceptum in hoc nostro conuento, mihi vitio ne vertatur impenitiae, si minus enucleate de hac arte atq; exacte differam, cuius incunabula nunquam percognita habui. Quam voles (inquit) caute & pedetentim ingredere, modo ne præuaricabunde. nolo enim te salebras quaslibet superstitionis vitare, per quas ingredi strenuus homo possit, idemque religione per imbutus conseruandæ comiter latini sermonis maiestatis. Audendum est enim aliquid, ut tu dicere soles, qui rediuita latinitate ut velit ad res nobis æquales & recenteis translatio. Faciam (inquam) Here quam potero accuratissime: frontem etiam si res ita poscere videbitur, leuiter perfri cuero: ne defunctione (quod dicitur) voluntati tuae seruuisse, & imperio obtemperasse videar. Verum hanc partem, quam recepisse me te deferente contestatus sum, non mihi depoposcisse, nudam ipsam ac sine exordio exponam, ne longius exornando aut altius repetendo, negotium maius mihi facebam, omittam artis præludia: transmittam auspicadi certa.

minis palæstram, atq; omneis concinnitatis, quibus velut dī gestis frōdibus festis & virentibus, ludi venatorū vestibulum artis ipsius magistri visendum faciunt & spectandum. non dicam quòd viridi veste ad venatum cerui, fusca & villosa ad apri vtendum est maiorum īstituto. quod certo quodam modo amictum esse oportet. quod ense succinctum & cultro ad īmprovisa munitum. quod ternos aut minimum binos e quos vno die, eosq; pegasidas, oris morigeri ac dictilis habere, ad defultoriam vīcīssitudinem ē fesso in recentem assilien dī. non venatoris īsignia, non gestamina, non īstrumentum enumerabo. non genera canum, non formas, non naturam, nō educationem, non īstitutionem, non probationem generosorum, non degenerum notas dīcam. non blateronum atq; petulantium castigationem attingam. Qua ratione fortasse fieret, vt opus à maiestate tua locatum tametsi non mediocre, grātuitis tamen fortasse accessionibus atque additamentis cederet. Omittam etiam quod vt pueris īgenuis pædagogī, sic canibus generosis cynagogī sui attributi sunt. Princípio igitur (vt accepi) cum post coitionem illam sylvestrem de cerui necē coactam & solutam, ad locum īdaginis ventum est à cohorte venatoria: princeps ille venator, qui ductor esse canum moderatorq; iussus est, & penes quem fasces (vt ita dicam) eius diei esse contigit: priusquam paria canum resoluuntur, statuere solet quo loco grādiores canes velocesq; locandī sunt. quos licebit ceruarios vocemus: quamvis eos ī ordinem leporiorum lingua vernacula redegerit: quomodo & suarios lupariosq; qui etiam ceruipetē apripetæ & lupipetæ dici possunt. Sic autem ferunt placita huius iuris prudentum, ususq; comprobauit, vt pernices illi canes atq; emissarii, stationatim collocentur in locis abditis, latera procursus ceruini cingentibus. Quem procursum ad apertum locum sylue, & veluti glabrentem, vel ī syluam glandiferam proceram & illustrē pertinere oportet, vt natura habitusq; locorum tulerit, quā

maxime verisimile est ceruum tandem transiturum : quia ea
via forsitan fert ad amhem , aut ad aliud perfugium, aut sta-
bulum ceruo notum & amoenum. Iustum esse aiunt ternas qui
dem stationes disponere , sed geminas . senos vero in singulis
ceruarios, hoc est utrinq; ternos , medius ut ceruus transcur-
rens utrinq; ab ipsis urgeatur . Senis autem certupetis (qui
terni ut dixi ex aduerso sibi collocati sunt) latrunculi bini è nu-
mero ministerii assignantur , quos vos titularios appellare so-
letis , qui numellis eos cohibeant , quoad ceruus præterierit:
tumq; demum à latrunculis canes emissi , illicet emicantes &
improuisi , ceruum tanquam ex insidiis territum adoriantur .
Interdum etiam binii ternorum vicem supplant , si fauces pro-
cursus longiores sint , plureisq; latrunculorum statuunculas
poscere videantur . Procursum autem ipsum constitutum opor-
tet loco delecto , & quam fieri potest (ut diximus) apertissimo :
quippe in quo sylvaticum spectaculum editur vel principi-
bus foeminiis vel proceribus , quorum gratia interdum unius
diei venatus comparatus est , quiq; per syluam euagari gra-
uantur , aut ceruum è vestigio persequi . Pernicissimorum porro
canum latebra primo loco statuenda , & deinceps pernicio-
rum ad ultimam procedendo , quæ ipsa esse debet validissi-
morum atq; atrocissimorum . id quod ideo constitutum est , ut
primi qui sunt velossimí , præcipiti cursu alipede in ipsum
exerceantur deinde secundi primis succedentes & acceden-
tes , & tertii rursus secundis , si quatuor sint statuunculae , fra-
ctum iam & exanimatum ad ultimos urgeant : si quidem ad
triarios (ut dicitur) res ipsa redierit , & manus supradictas
ceruus eluctatus sit . Hæc porro manus non à tergo , vt aliae
quæ velocitate valent , sed aduersæ feræ obicienda : quia robo-
re & ferocia præualens , sistere eam potest , & morsu retinere ,
cæterisq; lacerandam ociose præbere . Cæterum non cuiuslibet
ministri latruncularium munus est , namq; nisi canes emis-
sarii tempestive emancipentur & apposite , extemplo insidias

fera suspectans, ac tergiuersans, retro recurret, aut transuerso impetu aliquà erumpet ex angustiis illis, sicubi r̄imam nacta fuerit aut claustra currīculi perrumpet. quòd si semel fecerit, nulla v̄i postea subigi poterit, in eandem vt currīculi nassam vel caput solum īserat. Id ne qua ratione eueniat, alariis astribus latera procursus vos frequentare soletis. Quorum munus est, simulut fera carceres currīculi īgressa est, eā vociferatu & equitatu vtrinq; absterre, quo ipsa intra septa currīculi cōpulsa, ad vltimum tandem sinum fatalemq; irruimpatur: cum regressus nullus ei pateat, propter asseclas illos quadupedes, vociferatores īfestissimos. Est præterea supradicti venatoriis, priuarum partium actoris, subsidia canum vestigiorum qui excursores vocantur, opportunis stationibus depone re, ministrisq; committere. ad hoc autem sunt decuriæ canum integræ comparatæ, quas relictas appellatis, vt decuriis iā fessis succedant, aut temere expatiatis: ceruumq; qui sui furtū fecerit, si per subsidiorum loca vestigia duxerit, recenti venatu profligant & exaniment. Secundæ igitur tertiaeq; manus excursorum ea de causa disponuntur: vt si res ad subsidiarios aut triarios deuenerit, ab ipsis venatus denuo īstauretur. Verum hoc maximopere cauendū, ne subsidiarii ipsis canes auersa vestigia protinus pro aduersis īneant: quod tanq; in portu est īmpingere, auersaq; (vt aiunt) cui certamen auspicari. Cum vero architectus ille, & inspector arbitratorq; venationis, supradicta rectè atq; ordine disposuerit, quasiq; omnes eius certaminis acies instruxerit, ad eum ipse locum reuertitur vnde copulae resoluēdæ sunt, ceruusq; agminī latrabilis ad excusum obiciendus, & exponendus ad prædam. Sic autem (vt comperimus) rem temperant, vt ab ipso commissu venatus, hortamēta primum remissiora faciant: quia canes suopte ipsis impetu ab initio ardētius ferūtur. leniter igitur venator cogere agmine flaccorum gentis debet, sinereq; eos certa vestigia legere. simulac vero ceruus lōgius ī pedes se se dederit, gyrosq; quos

DE PHILOLOGIA

dam círcúscípserit, solet primum per vestígia sua regredi, vt derelictæ stabulationis memor, estiuorumq; suorum amoenitatem requírens, blandam atq; iucundam, quam tamen postq; persentiscere cœpit se retinere sine præsentanea certaq; nece non posse: tū deniq; salutem illi quasi vltimā dicit, identidem restitans, & mœstus solum vertit. Est etiā cum præceleri fuga ingens spatiū syluæ præcipiēs, exin arbitratu suo alias atq; alias in aliis strophas cōminiscitur. Poscit autem ipsius venatoris officium, vt ipse agmīni illi clangenti atq; excursorio, a seclam sese euestigio præbeat quoad fieri potest: & vt vos dicere soletis, vt actus canini tractum inoffenso tenore perequit. actum appello verbo quasi vestro & saltuensi, semitā per quam canes ipsi vestigatores agere ceruum dicuntur. Si sale brarum montiumve occursu homo inhibeatur quō minus id faciat, debet q; citissime potest, aut circuīt aut flexu cōpēdīo so canibus occurrere: idq; aduerso vento. tum actum ab eo intercīsum illīco repetere. qui nisi sub oculis identidem agmen suum habuerit, mendosam eorum excursionem emendare nō quibit. At vbi conticuisse canes senserit, aut incertas voces ambiguasve edere, metuere īā à cerui dolo malo incipit, aut ab hallucinatione canū vestígia eius legentium: ne aut semita excesserint actuaria, aut venatum verterint, & ceruum ipsum decumanum temere pro quolibet ceruo dereliquerint. quod vt comperire possit, receptui canere moris est, & retrorsus retrorsus, iterum atq; iterum ingeminare canoro vociferatu. Fererint porrò versuram cerui canes, necne fecerint, hac ratione quispiam maxime compererit. Alicubi insistat, vnde canes arbitretur & obseruet commeanteis & remeanteis. nam si dolus fugitiui in causa est illius repentini conticinii, omnis canū caterua eodem stupore affici videbitur. si versura temere à canibus arrepta est (quod vos colligere quasi agglomerare permutationis actum dicitis) classis excursioriae ductores, & coryphæi caninæ symphonias, qui ad huiusmodi species vsu oc-

calluerunt, actum versuræ cū tyronibus nequaq̄ exequentur.
huiusmodi enim excusores vix vnq̄ nunciū remittunt prædæ
sibi ab initio desponsæ ac destinatæ. Errore igitur intellecto
actuarius venator eos retro inhibitos reducit, vnde repetere
pristinum actum certius legitimumq̄ poterunt, cum clango
re symphonico. aut si error dolo ferino admissus est, vnde
eos in gradum (vt ita dicam) reponere legitimæ excursionis,
ex adulterina aut subdititia poterit. Ecce autem rursus aliud
atq; aliud incommodū, quod s̄ e penumero negocium illis ex
hibet, & quasi vitiū auspicantibus affert. Canes sic errore aut
fraude lapsi, in integrumq; subinde restituti, in errorem non
nunq̄ denuo æquè grauem impingunt, auersis vngulis venatū
illum ineuntes repetitum: totaq; adeo sylua quasi toto cœlo
(quod aiunt) aberrantes, excurrunt, nonnunquam huc illucq;
transuersi rapiuntur, ferarum gregariorum sequentes vestigia,
aut ceruorum etiam quoruīis abgregatorum, quibus sylua
rum semitæ tramitesq; referti sunt. In qua specie non modo
venatore circunspecto, sed perspicaci opus est, qui fugacis fe
ræ vestigia vngulata colligat cernuus ex ephippio, vel equū
habena post se trahens: alioquin inter artis magistros præua
xicari per inertiam dicitur. Et quidem vt in cane vulturina sa
gacitas, sic acies aquilina in venatore necessaria. Iauero vnius
eiusdemq; cornigeri vestigia soleata, odorata, cubiliaria, sedē
taria, & curricularia, non eadem, non paria, non similia vbicq;
sunt: ex quo alia rursus existit nec modica difficultas & erra
tio. Interdum enim euenit, vt selectus ceruus, nactus viam
quampiam squallidam & puluerulentam, tum diu, tum lon
gè per eam vestigia faciat: in quo canum sagacitas cum ex
perientia fallitur. Nam præterquam quod canes tum existi
mant ceruum viam ab hominibus tritam vitasse, in densaque
& auia penitus se condidisse, ob idque via trita decedunt, exi
lis quoque admodum odor & fugax, in locis illis haeret gla
bris, & squallore puluere que oblitis: cum alioqui solis ardor

in vniuersum omnem statim humorē in quo vestigii odor hæret, haurire & absumere soleat. Contrà in locis herbidis & in vepreculis odoratiora ideo sunt vestigia, quod non solo tantū pedum, sed & cruribus, & corporis affrictu, vestigiaria semita odorata remanet. In locis etiam opacis odor minus fugere solet. Iam pastores loca in sylvis caluentia, & retroridis herbulis scabrisq; virgultis obsita, ob id saepe incendunt, vt ex solo concalefacto herbida seges exoriatur, quæ armentis perutilis est. Ita cum per busta (vt sic dixerim) illa, recentibus adhuc fauillis ceruus viā fecerit, canes odore fuliginis offensi, ac crebro sternutantes, vestigationem deserunt. qui si etiam ipsi ibidem pertolerant, tamen odorari vestigia nequeunt, hebetate utiq; sensum & præualente odore fuliginoso. Hoc ubi venator actuarius animaduertit, lacunā illam (vt ita loquar) vestigiorum, circuactu vitare debet: deinde intercīsam vestigii semitam sarcire, & actum repetere: duntaxat nisi ceruus in sua retrorsus vestigia cesserit. In summa autem addubitatione harpoconitidem illum labeonem è numella venator ipse consulit. quem therelenchum supra ab indicio ferè diximus. qui quasi quidam antistes Dianæ, non voce, sed caudæ verberatu atque murmure & gannitu dare responsa solet: non flexiloqua, non ambigua, omniq; vestigiali argumento indicioq; certiora. Solet etiam in huiusmodi casu ductor ipse agminis ac moderator actus, cum fera per detrectationem ac dolum abest, & buccinæ canore & in clamatu palabundos canes, sociosq; ludicri & ministros iubilatu euocare, & celeusma requisitorium edere, quod vos requestam (vt opinor) canere appellatis. Id est fermè perinde, ac si iurisconsultorum verbo dicerem, ceruum requirendum adnotare, vt delatum ac reum dolí mali, buccinæq; præconio perulgare furtum sui fecisse. Tum autem operæ esse putant precium, caninum comitatum, squallore, feruore, lassitudine confectum, ob idq; imperia hortamentaq; detrectantem, quæsito fonte recreare: ibiç pane & quasi

curandis corporibus reficeretum cornuum clangore alacritati restituere, plausu & blandimentis ad venatum ab integro ineundum exuscitare. Interim etiam (ut opinor) actum à capite denuo arcessere, quasi ad carceres reuocari excuso penne spatio. Mos vero ceruorum est, cum profligatos se sentiunt & exagitatu enectos, aut (ut vos dicitis) dure & atrociter actos, syluarum opaca relinquere, atque in campestria se conuicere. interdum ad vicos villasque proprius accedere, quod ferè non antea facit quām animum desponderit, omni spe deposita solennium perfugiorum. Eo tamen pacto saepe euenit, ut canibus se subducatur. in campestri enim planicie, locisq; proscissis & in veruactis, & vero in noualibus, tractus vestigiorum non æquè odoratus est, ut supra dixi, atque in vepribus & in syluarum ceduis. quia soleata tantum vestigia relinquuntur exiliterque odorata, nullo nec crurum contactu nec corporum. In recens autem inaratis eo amplius negotiū exhibet canibus odor soli subacti. Sed tum venatoris est officium nec inertis nec præuaricatoris, oculis vestigia in molibus locis legere: tum canum langorem impetumq; senescensem hortatu classicoque sylvestri erigere & renouare. Verumeniuero & venatoris ipsius, & canum calliditas & selectitia, & vt vos appellare soletis, sapientia, in versuris extricandis, & in emendanda canum hallucinatione, maxime vendibilis est, ut si in vlla venationis parte. Versuræ duplicum modum esse aiunt. vnum, si ceruus selectus & curriculo diei præsentis destinatus, aut satellitem suum, aut vergrandem aliud ceruum, simonibus illis pedissequis suis obiecerit quasi pro se piacularem hostiam: tumque intorta vertigine impostoria protinus se subduxerit. In qua, vt supra dictum est, specie, venator peritus & veterator, non temere fallitur, si modo canes prætereunteis obseruauerit, aut eorum tantum clangorem exaudierit. Quippe omnium cerui affectatorum voces notas habere debet, eorum præcī

puè qui classis ductores appellantur, & naris emunctioris esse noscuntur. Vos sermone syluatice fauces & actum cuiusque canis nosse venatore dicitis. Alter modus est, si decumanus, qui primum quenque ceruum in venatum, aut parasitum suum in discrimen, quasi in reatum transcripsit, socium fugae sese transcripto illi adiunxit, quod idcirco interdum facit, quod maiore stupore & perplexiore venatu homines canesque afficiat atque implicet. id quod ubi accidit, dicere (ut opinor) vos solitatis, legitimum actum vna ferri cum versura. Huiuscemodi impostrur duas indices notas minime ut perhibet fallaces, a technologis venationis proditas esse comperti. si compertae fidei averti excursores nec vaniloquentiae quoquomodo suspecti, repete ita insistant, vt nec progredi videantur nec regredi, sed quasi stare in vestigio. aut si porrò ita agant, vt inerter id se facere ac sine spe praefere ferant, ob idque vocem baubantium non edant: nimirum quos veluti deprehensos pigate & pudeat incassum porro progredi, quasi per caliginem. Is casus etiam praesentis consilii hominem poscit, qui strategematisbus aliquando venaticis documeta luculenta solertiae suae dederit: qui in eodem (ut dicitur) vestigio, consilia expedire strategematica, alia atque alia possit. Postremo ceruus diu exercitus & iam fatiscens omnibus commentis fugae ac praefidii consumptis, solet (ut ante dictum est,) aut flumen aut stagnum perquirere, in idque se saltu coniicere. Quod interdum refrigerandi causa facit, saepius tamen Nymphaeum aede quasi asylum ultimae spei & deploratae petens, ob idque inde plerunque non nisi captus eiici potest. Ibi autem modo aduersa vnda, modo secunda fertur. Quod cum venator festinus & curriculo venit, imprimis animaduertere solitus est quo loco ceruus in flumen infiliit, locumque animaduersum destricta fronde, aut humi strata notare, aut ex arbore suspensa. Reliqua iam vix memoratu digna, quae in vtraque ripa facienda sunt. quibus modis innatans corniger vrgendus sit & lacinandus, quomodo fugitiuus enatator per-

sequendus , si vltiorem ripam superauerit, aut si per citiorum retrocesserit. Proinde cum ē sylua in flumen, Here, & ad locum supplicii ceruum ipsum quasi reum peractum damnatumque deduxerimus : ad catastrophen (vt opinor) actus prius quidē comici , postea vero tragicī capitalis, peruenimus. Istam vero (Rex inquit) Budæ vel artis vel historiæ venationis commemorationem , sic ferme tu oſsus es, vt Homerum audiuī Troianum bellum exorsum esse. siue ita res nata tulit forte fortuna: siue id à te actum est, aut idoneam ob causam vt ille maximus auctor fecit: aut quod magis censeo, vt tot rerū nomenculationis compendium faceres. quod tamen consilium si secutus es, quo vſq; tibi lucrī ratio constet, tecum ipse videris . nam ego versuram etiam soluisse te arbitror, in explicandis illiberaliter & grauatim linguae tuæ copiis. Non inauditas autem tibi, aut aliās non cognitas reliquas quoque partes huius artis arbitror , qui supradictas noueris. quam à te inuito non magnopere iam contendam, vt usque ad umbilicum (quod dicitur) & extremam coronidem progressare, si id ipse vltro facere grauabere. Tute vero videris eum quod vltius etiam specimen sui, quasiq; imperatæ operæ collarium, præbere Latina lingua in hoc genere possit. Rem enim fere tenes (vt video) totam. Digitis (inquam) Here fortasse primoribus. Immo vero (inquit) perceptam satis & comprehensam, vt ab homine quidem in diuerso foro assidue negociante. Atqui (inquam) Here vereor, ne in his paucis quæ dixi , fanda infandaq; dixerim : qui in regiam palæstram imprudens primum ingressus, deinde humanitatis tuæ illecebris prouocatus , differere ausus sim de muneribus ipsorum palæstrarum . Qui si etiam porro appendices supradictorum accessionesq; attingere te iubente cogerer, ē superiore illa hesitantia, in qua vereor ne indecorum conflictatus sim, ad infinitum fortasse redigerer. Nam quis antiquis & probis verbis exprimere vel summas rerum possit, quas vos copiosissime

eloquī & explanare summa cum sermonis venustate & dignitate nouistis? Et quoniam egregii cerui & spectandi, cornibus maxime insigniti sunt (video enim quid hisce verbis tuis agatur) ab ea parte exemplum sumam ex quo conjectura logodē daliæ vestræ in vniuersum fieri possit. Primum exuuias illas anniuersarias, quibus orbati latent cerui, quasi honore atque insigni amissio: non cornua ut latini, sed caput, quasi decus ferinum appellatis. Quod cum significare venatores eximium esse atq; honestum volunt, ab eoq; cerui spectandi atq; memorabilis iudicium indicaturamq; facere, Capite (inquiunt) praeditus est commode nato, compactili, concinno, recte, ordine decenter constituto: hancq; censuram his pene verbis faciunt sigillatim æstimantes. Stipitem enim corneum quam vos materiem dicitis, apte aiunt erumpere è molis suis & existere: quæ sedimenta sunt cornuum, tum tabulata ipsa fruticantia è molis concinne in ramos esse expansa. scapos è caudice proportione enatos: è scapis porro cornicula producta in mucrones congrue desinere: non contractiora ipsa quam iustum est, non diffusiora, non absurde conformata. tum probe clavatum esse caput, & congruenter patulum, & æquabili fruticatu decorum: materiam autem ipsam caudicis, pulchre sulcatā esse, atq; inter sulcos strias ve (quas vos quasi colliquias appellatis atq; stillicidia) scabritiem eminere æquabiliter vunionam: quod mihi verruculosam significare visum est. Tam multipli varietate vocabulorum atq; etiam aliquanto numero: fiore, decus illud ceruinum coagmentare à maioribus insti tutum est. Quod mirum est id animal quotannis exuere quasi vernationem, restibili sobole velut materiam recidivam paucis mensibus in integrum restituere, quemadmodum & ipsum ex macie hyberna, ac tabe libidinosi temporis sub mē sem vicissim Maium cito in corpus ire è gregariisq; cateruis ac locis abditis & abstrusis in quibus delituit emigrantem, in loco delecto stabulari, vnde commoda & propinqua sit pa

bulatio, illicq; velut in aestiuis instauratiuum decorem ac saginam recipere. Rursus ad decimum octauum Cal. Octobris, ceruos libidinari incipientes, catulientium ceruarum concilia bula querere, & velut ad forum Veneris vndique conuenire. Quo tempore si ceruum venandum quis duxerit, indagandia ratio mutanda est. Neq; enim a circumscripta indagine venadum initium faciunt, ut solenni tempore, quoniam rabie pruriginis admissarii efferati, & canes & homines atrociter inuidunt cum primum aspexerunt. Rancere fictitia voce tunc dicuntur. rancentes autem ololygones (sic enim tum vocatur) diluculo venator secundo vento exaudiens: decumanumq; esse rancore diiudicans, aut aliás memorabilis magnitudine: eò decurias canum admouet, indagatore numellato venatus auspiciatum praeeunte, ut fere aliás solet. Libidine autem flagratiissima ad mensem agitantur. deinde paulatim desauientes, alterum paulominus mensem absunt. Hac habitudinum vicissitudine nunc flaccentes, nunc strigosi: tum eualescentes, tum obesi: aliás corniculosi & sublimes, aliás mutili & inermes, & tanquam pudibundi. Aprí etiam (vt opinor) circa Cal. Decembris subantes sues sectari solent, indeq; calidum obducere venabulo quoq; refractariū. Vnum penè posterii, quod est venatori necessarium, iisq; qui asseclis illis symphoniacis instare equo vehetes instituunt, ut insignia loca saltuum, ferarumq; conuenticula nouerint: vt triuia & compita syluarū quasi Fauni ac Syluanī memoriter recenseat: vt anfractus eorumq; circuitus & compendia tanquam dígitos suos teneant: vt deniq; velut arenae suæ omnes angulos, diuerticula, anticos & posticos exitus & meatus notos habeant. Quod mihi cum semper perdifficile visum sit, tibi adeò facile est, vt cohortis venatoriæ principes audierim supra alia eo nomine maximopere te admiranteis: cum dicerent sic ad hoc te factū esse, vt nō minus quam syluicolæ & saltuarii syluas notas haberes, quas quidem iterum modo aut tertium certe venando

perlustrasses : cum tamen iam omnes pene regni tui egregie
nemorosi , saltus magnos permensus essem . Insignium porro
syluarum in quibus frequentior esse solitus essem , non modo
iuga nobilia , aquationes , & stabula decumanorum , nymphae
rumq; domicilia : sed etiam naiadas (ut ita dicam) ipsas & orea-
das , hamadryadas q; pene in numerato haberes , quae quidem
insignes essent . Ceterum hora est iam (ut opinor) Here , ut
ex hac saltuensi opacitate emergam , ac post tantam digressio-
nem , eò quod agebamus , redeam . Esto sane , Rex inquit . nam
ut tu è medio tuo stadio in curriculum nostrum me auctore
ingressus es : sic & ego libes in campos illos eloquentiae hinc
egrediār , ad spectādam illam indagationem inuentionis , atq;
elocutionis oratoriae , quam ego semper et si non visam admī-
ratus sum , ut quidem eam audio à vobis commendari . Nos
vero vicissim (inquam) Here admirari cū plurimis solemus ,
tam tibi artem inueniendi quid dicas , familiarem esse , in cu-
ius ludum scimus nunquam te vētitasse . quanquam quod ad
me pertinet , ego longe magis suspicio elocutionis facultatem
in oratione tua conspicuam & luculentam , quantum quidem
esse potest in lingua vernacula . neq; nunc de oratione extem-
porali aut sermone quotidiano loquor . auditor saepe fui spe-
ctatorq; è propinquo panegyricorum tuorum : in quibus in-
uentione in propemodium carneadeam , tropi oratorii & figu-
ra verborum sententiarumq; , nō artis illa quidem præcepta ,
sed prudentiae communis quedam velut dictata , copiose exor-
nabant . ex quo tibi euenit , nunquam ut quicquam publice per-
orando , aut à populo , aut ab equestri ordine gentilitioq; con-
tenderis & patritio , quod non illico expromptum , secundisq;
animis & pronis abstuleris . Nec vero hominum doctorū iu-
dicio , nō dico Rex ullus , sed omnino postulator , aut princeps ,
aut alius à regibus allegatus , nostra fuit ætate , quem in eius-
modi genere æque atq; tuam maiestatem palæstra oratoria &
(ut ita dicam) attica , in pulpito cōmēdarit . Enim uero (Rex

inquit iamiam me (ut opinor) suppœnitibit, quod tibi sylvestri indagine deprehenso retia submiserim: vnde te cito egresum, equitem ut video pedes ipse prouocauit in hunc campum. Etiam ne (si diuis placet) eloquentiae instrumentum, vestem, copias & ornamentum Budæe, orationibus meis nudis & ieiunis accommodasti: etiam ne me iis usum est suggestu regio persuadere mihi sperasti: cui ne ad inuentionis quidem quos appellatis locos, accedere vñquam cotigerit, ne laciniam quidem vestis eloquentiae primoribus digitis attингere? Vide vero Budæe, vide, inquit, ne tibi forte plus tribuas, atque sumas quam regie licet potestati. Ibi ego subito metu perfusus, quasi supra crepidam sutor, aut ultra clepsydram orator quippiā ipse dixisse, Quonā modo (inquam) Here, obsecro te suppliciter, si quod verbum mihi imprudenti excidit, id ne vertatur in culpam arrogantiæ, quam etiam inter mei ordinis homines semper auersatus sum. Quia memini (inquit) cū de scripto aliquando mihi literarum fauorem ornamentaque commendares, dicere te, Tēpus venisse cum ego possem magnos poetas & oratores facere: id quod tu instar esse creditorum olim aiebas numinum Apollinis atq; Musarum. nullum enim præsentius numen esse excitandis hominum ingeniis, inuentionisque ferore & elocutionis vi afflandis, beneficentia atque honorificentia: quorum numinum potentes esse imprimis reges Francie, ut si quem alium diuorum mortalium. Amplius igitur ego esse putabam & regium, è permultis hominibus ingeniolis, qui discipuli diu Mineruae illius elegantioris liberaliorisque fuissent, paucos me poetas oratoresque posse efficer: at tu tibi hoc sumere non dubitasti, ut me, cui in pueritia tantum discipulum esse literarum contigit, mirifica illa donares facultate, quam ex omnium pene disciplinarum compage recordor te non pridem coagmentasse. Qua liberalitate ac largitione priuata, omnem haud dubie regiam munificentiam superasti, diuinam etiam beneficentiam æquasti: si quidem do

num tuum ratum futurum est hominum non imperitorum opinione. quod si fore confidere, delphici illius oraculi inscius aut aspernator esse (vt opinor) dicerer. Tum demum ego, pauore illo inani sed vehementi posito, recreatus, Eximiuero Here (inquam) si meum hoc donum esset, mihi videndum esse ducerem, id vt proprium tibi perpetuumque futurum satisfacto promitterem. existerent autem vltro homines multi locupletes, eorumque partim mihi amici, qui causa mea & publica fortasse, id fide sua apud te esse iuberent, quod compertum haberent ipsi & exploratum: praedes etiam ipse fortasse tibi darem, orationes quasdam tuas panegyricas: quas asseruari a quibusdam scio qui eas vel exceperunt, vel ab aliis exceptas videntas rogauerunt & describendas. Nunc cum hoc elogium publicam causam habeat atque auctoritatem, vt ipse gratiam eo nomine falsam inire nolim, nec te mihi priuatim acceptum id referre postularim: ita causa nulla est, Here, quamobrem eo nomine solus periclitari debeam: cum omnes aut docti, aut alias cordati, qui quidem te pernouerunt, communiter id tibi detulerint, repromittereque eo nomine parati sint: eorum vero permulti iure id iurando & existimatione sua cauere. Et tamen quatenus in causa vniuersorum, singulorum quoque causa implicita videri potest, ipse quod ad me res attinet, praestare non recusabo, id tibi per doctissimum quenque & nostrorum & exterrorum (duntaxat nec nobis iniquorum, & qui nosse rem quae de re agitur potuerint) ratum, firmum, non controuersum futurum, quod publice delatum esse dixi, priuatimque a singulis. Hesiodo fides habita est se a musis edoctum esse, poeticaque facultate donatum, cum greges ipse pasceret sub mōte Helicone: non credetur tot testibus, tam idoneis, populorum te pastorem, vt reges appellare solet Homerus, & regiam genituram sortitum, anima diuinitus esse donatum, ea quam diximus dote praedita, atque etiam ampliore certe naturae largitionibus an fortunæ ditior sis & beatior, non facile est perpendenti exi-

stimare. Ad naturæ liberalitatē accessit accurata meditatio. tum dignitas oris & maiestas, non regia modo & personata: sed etiam insignibus positis semper hærens, multum ad facūdiam innatam addit. Iam quæ puer in ludo labris primoribus degustasti, quæ adolescens in educatione principali, quæ deinde Rex in audiendis & regiae tuæ & regni nesteribus in deliberationibus rerum magnarum, deniq; quæ ex sermocinatio- nibus grauibus dídicisti, atq; ex hominum peritorum cuiusq; artis auscultationibus, mirum quantum additamentum ad naturæ prolixitatem liberalitatemq; attulerint. Quos enim disse- rentes explanatè de re quacunq; vel semel audiuisti, hominū quidem facundiam, rerum scietiam in meditatis orationibus refers, & non leuiter in extemporalibus: literatum vero bona- rum, omnis historiæ probæ ac receptæ fidei, vniuersitæ aucto- ritatis & sapientiæ priscæ admiratio, in auribus tuis (nisi fal- lor) atq; etiam in pectore defixa est tū nostra fortasse aliqua- tenus, tum aliorum sedulitate, quæ alimehta sunt ipsa, & san- guis, succus, animaq; eloquentiæ. Deniq; Hesiodus idem homi- nes quosdam in sanctiore naturæ officina factos esse dixit, qui ipso per se sine magistro intelligunt quæ dictu & factu potissi- ma sunt. Quorum obseruatio (vt Cicero inquit) atq; imitatio, artem oratoriā peperit. Addendum quod, Plato in Symposium dixit, quiddam mediū esse inter scientiam rerū atq; inscientiam. Ut enim (inquit ille) sciens dici non debet, qui recte de re aliqua opinatur, sed tamen ratione scientiæ non adeptus est, vt sunt artiū professores: ita nescius vel inscius dici iure non potest, qui rei veritatem assecutus est, & recte de ea césset. id quod & iudiciū singulare & prudentia eximia tibi dant quotidie, quæ in dotē, vt vocant iurisconsulti, profectitiā, naturæ tuæ magnā partē cesserunt, & porro locupletata sunt postea auctu aduen- titio. At literarum doctrinā (inquis) non nisi puer attigi, non igitur arte villa ciuili ita caruisti, vt regiae vñq; tuæ maiestati, intelligendi dicēdīq; facultas defuisse videatur: etiā si ars ipsa

absuit quam disciplina parit: adeò quæ magno à multis parātur, in te naturæ plena manu insita sunt, & cum ætate adoleuerunt. Verum quod liberalitatem meā plus quod regiam, quasique profusam esse dixisti, & maiorem priuata largitione, velim Here rem ipsam ut intelligas quò pertineat, ne gratuitā ipsam forte & projectam liberalitatem esse putas, hominisque parū fru-
gī, nec sese respicientis. malo enim modicam à te gratiā, eadē veram & solidā, quod multam illam quidem, sed falsam & inanē inire. Quorsum tandem (Rex inquit) istam tuā pertinere vīs immēsam erga nos facultatis donationē! Ut hanc eloquētiæ facultatem (inquam) cuius ego patrociniū apud tuā maiestatē atque benignitatē recepi, atque suscepi, cognatam tibi pri-
mum, Here, deinde agnatam intelligas, vsusque multiplicis ne-
cessitudine cōiunctā. Quod si tibi persuasero, nostra vtque Phi-
lologia, quæ eius olím ornatrix fuisse, hodie instauratrix atque inter-
polatrix esse mērito existimatur, dote sua te superstite nō
vltra fraudabitur: id quod hac maxime (vt ingenue fatear) fer-
mocinatione agitur. Nō de nihilo erat igitur (inquit) neque temerariū, quod mihi illa ornamēta eloquētiæ induere conatus es, si
tibi humeros & brachia præbere voluissē & expādere, in qui-
bus ego videbā sedere illa ipsa nō posse. Enī illa mihi eloquē-
tiæ insigniā, senatuscōsulto doctorū atque intelligētiū decreta
atque delata. nempe ut in familiā vestram adoptari me sinerē,
in communemque causam tuendæ Philologiæ vestræ, & venu-
stioris istius Mineruæ ornādē, vobis cum incumberem. Ita tua
illa quæ profusa mihi videbatur largitio, multū frugalitatis
habuit & proscientiæ. Nam si tibi me, aliisque, magis de me
credere quod mihi metipsi persuaseris, in asse vestro fortasse atque
vestræ Philologiæ, ego quadrantē meum aut sextantē agi exi-
stimabo. Atqui Here (inquam) si tuum fastigiū & eloquen-
tiæ natales diligēter cōsideraris, è re atque existimatione istius
maiestatis esse arbitrabere, tuēdæ quidē atque alendæ Philolo-
giæ nobis partes relinqueret: tibi vero eiusdē cōmodis augēdē,

honoribusqe illustrandæ officium, vt equū est, sumere. Id vero
tum (vt spero) facies, cum literarum bonarū professionē: quæ
nunc sine nomine vt ante dictum, sine tribu, sine censu, sine la-
re est publico, nominatissimam omniū professionum clarissi-
māqe reddere, plenius in animū induxeris. Id quod negare no-
bis non poteris æquitate tua disceptatrice, cum te in familiæ
nostræ patronū, decus, atqe columē, honoris tui causa, ac bene-
uolente (vt spero) eloquentiæ numine, adoptarimus. Nā si hu-
manitate tua nobis atqe omnibus nota, non dico disceptante,
sed tantum auscultante, quasi iudicium æqui & boni tecum
constitui patiare, quid causæ est quo minus exornatoris Philo-
logiæ nostræ personam tibi indui statim velle debeas: cū mi-
hi personam venatoris pro imperio imposueris? Quæ cū ipsa
Philologia, cognomento Callilogia, parens sit & nutrix elo-
quentiæ, quam Homerus καλλιλογίαν vocat, vt hominibus decus
& illustrem famam conciliantem: parum ex animi tui senten-
tia fecisse mihi videris, vt in eius patrocínio atqe defensione
sextantē tuū agi diceres: cū tibi non semis modo causæ, sed as-
totus periclitetur, si recte animū tuū noui. Qui cū sis rerū hu-
manartum intelligētia, existimatione, atqe estimatione eximie
préditus, pluris vtiqe sextatē propriæ & perpetuæ hereditatis
atqe etiā semūciam facturus es, quod dextantem honorū posselli-
onis, iure ciuili magis quod honorario adipiscendę, nec diu retinē-
dæ. nosti aut qui magistratus rei literariæ, qui prætores vrba-
ni & peregrini, & domi & peregrinè ius dicere de hereditate e-
iuscmodi possint. De eo (inquit) cū lícuerit Budæ & vaca-
rit, iterū viderimus: nūc ad indaginem illam tuam reuertere.

Sí vis illa (inquam) igitur Hera inueniendi, quam ingenio-
rum apex Homerus, hominibus vt propriā & peculiarem tri-
buít, tam certa in nobis esse posset, quod est in sagaci illo gene-
re animantiū vestigatio, præsertim adiuta venatoris prudētia
præagiēte, minus omnino homines in inuentione peccarēt &
laborarent, nūc adminicula quedā artiū prisci excogitauerūt,

naturæ quidem illa infirmitatem fulcientia, sed usus non admodum tractabilis, & saepe infeliciter cedentis. Nam ut ars naturæ sit, assecla quodammodo atque æmula, non tamen est eò usque ut naturæ sit æquiperanda. Quidnā est igitur (inquit Rex) quod audire memini cum dices, vim omnem eloquentiæ in inuentione positam esse & in elocutione: atque earum utriusq; artem fuisse mirabilem antiquitus inuentam, ab Aristotele digestam, celebratam, & pertractatam: à Cicero ne probatam & in compendiu redactam, omnia præterea eius artis indagine quadam circumscripta & obsepta, vix ut quipiam indagatorem acrem fugere possit? Quippe rebus inuestigandis locos esse numeratos ac demonstratos: & cum notas rerum indices, tum rerum ipsarum sedes domiciliaq; insignita sigillatim & vniuersim: quæ omnia in monumentis extare antiquitatis aiebas. At vero elocutionis multo maiores copias esse: artem penè infinitam, nullis certis coercitam finibus aut pomociis. Porro autem ad perdiscendas artes singulas rationem quandam esse proditam: quam viam (ut opinor) dicebas à priscis appellatam: et si nomine græco utebare, sed idem significante, unde intelligi volebat, omnia quæ ad disciplinas spectaret, in inuestigatione esse posita, hominesq; ipsos artium auctores, inuestigatores fuisse. Quæ si vere à te dicta sunt, & ego probe commemini, non video quid obstet, quo minus ars illa inueniendi tam commode digesta in parteis atq; descripta, quasi dux quædam certissima, diligentissimo cuiq; eidemq; perspicaci viam ad rerum inuestigationem præbeat, in qualibet illa cunq; iaceant aut condita sint latebra. Similiter atq; tute nuper aiebas, labeones illos nostros inquisitores, & flaccos sagacitate & experientia præditos, nullas fugere posse odoris reliquias, vel saltuatim tantum, summisq; vngulis impressas. euoluere enim eos solere vestigia duplicita, multiplicia, recta, praua, cōtorta; clauiculata, perplexa, deniq; in orbes circuacta quamlibet implicatos. & vero ea vi inueniendi

tandem non destituí, ne si subdítitius quidem ceruus aliquan-
tis per interdum pro selecto ceruo fallere institerit, ad curricu-
lum destinato. Istarum quidem rerum (inquam) Here con-
tentio, non tantum instar habet, mea quidem sententia, quātā
similitudinem præfert, præfigire vsus latine loquentium vo-
cat, cum mens humana aliquid futurū indiciis quibusdā con-
iecturisq; prouidet, aut se prouidere putat, at coniectantis ani-
mus fallaces sepe notas sequitur, cū interim sagacitas illius
gentis flaccorum raro à notis suis fallatur, vt quæ natura cō-
stet simul & experientia. Nec vero canum cuiusq; generis fa-
miliae sagaciores, vestigia tantū ferarū odorantur, sed feras, &
perdices, & lepores: eorumq; recentia cubilia persentiscunt è
loginquo, vtpote aduerso vento eorum odorem captantes ere-
ctis naribus & exorbentes. Equidem ipse sepe admiratus sum
perdicarios & capestres, quum cursu præcipiti in longū con-
tendere spatium eos cernerē, non aliter atq; si obiecta prædā
oculis sequerentur, quoad viderem emicanteis inde & euolan-
teis perdices quò illi contenderant. Quocirca artis ad natu-
ram est quædam imitatio, non æquiperatio. Sunt enim longè
vberiores venæ naturæ atq; capaciores, quā m loculatae illæ
sedes artificis inuentionis. magisq; est ars naturæ felicis & bea-
tæ accurata adiutrix ad delectum, si quid hac in re mei iudicii
est, q; ad copiam prolixa suppeditatrix & magnifica. ad eūdē
ferme modum, quo modo iū qui in foro olim pragmatici dice-
batur, magnos oratores eloquētesq; adiuuabāt in causis ipsis
orandis. Arti aut qui prioreis in dicēdi facultate tribuūt, eos
Crassus ille orator scriptis Marcī Tulliī imprimis nobilita-
tus, r̄idendos esse censebat: apud quem in libris de Oratore
Antonius etiā alter orator illustris, vt Crassi ipsius æqualis,
ita etiam ipsi æquatus, Cum ad inueniēdum (inquit) tria sint
in dicēdo, acumen, deinde ratio, quam licet si volumus appell-
emus artē, tertiū diligētia, non possum equidē ingenio nō pri-
mas cōcedere: sed tamen ipsum ingenium diligētia ex tarditate

íncitat. Et rursus paulo post, Inter íngeniū quidem, inquit, & diligentiam paululum loci reliquum est arti. Ex quibus verbis apparet, eos qui natura duce consulti sunt & diserti, copiosiores in oratione, & ad tela oratoria intorquenda magis exercitos esse, quam qui arte magistra vtuntur, arida, ieíuna, & morosa. Quod eò, Here, pertinere recordari te oportet, quod supera de natura tua diximus, singulari, eximia, & beata numeris omnibus íngenií. Hic cum auersa statim facie Rex abnuere videretur quae de se diceretur: Verum esto, de te ultra nihil (inquam) Here: de arte iam ego & natura dispuo. Horatius cum de arte scriberet, alterum sine altero prodesse non posse dixit: & tamen aut suis aut Democrítí verbis, miseram artem vocauit. Quin & ipse Marcus Tullius, quod Fabius testatur Quintilianus, inuentionem ac dispositionem prudentis esse hominis putat, elocutionem oratoris. Quod si verum est, ut omnino est, iam hoc conjectum habeo, eam partem eloquétiae deesse tibi non posse: quod nō tua iam, Here, sed mea causa dico, ne hic quoque valere interdictum humanitatis tuæ & maiestatis æquum cœreas. Nolo enim qui hæc audiunt, iū existiment ingratam me tuę maiestati gratiam nequicquam inire à te velle: dicendiq; tibi facultatē, quam ut tuam nō agnoscis, parum probabiliter ac verisimiliter elargiri. At vero eloqui, (inquit idem Fabius) vnde eloquétia dicta, vis est omnia promendí quæ mente conceperis, atq; ad audientes perferendí: sine qua superuacula sunt priora, hoc est inuentionis munera: similiaq; gladio condito, atq; intra vaginam suam hærenti. Hæc igitur pars sine arte, ut censeo, ac docente quæri non potest: hicq; omnis ætas consumitur, ut inquit ipse Fabius. nec mirum: cum idem Marcus Tullius ad Brutū scribens, ita dixerit, Nā eloquétia quæ admiratione non habet, nullā iudico. Proinde hanc partem eloquétiae, quæ artis multe indiget, ob idq; ab eodē Tullio refractaria aliquādo appellata est, tibi triduere nec volo, Here, nec possum, quæ hodie in foris obsole-

uit, ut omne fere genus iudiciale. Cur aut alia duo genera habere nequeas, nullam causam esse video ex iis que supra dixi: quatenus quidem ferre hodie castrensis nostratum sermo, epidicticae dictio & concionalis potest. Verum ut ad scopum huius sermonis tandem, & ad causam nostram redeam, Ipsa quam Cicero eloquentiam esse voluit, cum instrumentum copiosum, nitidum, lautum habeat, mirificeque descriptum, ornamentum etiam varium, splendidum, vendibile atque illustre: vtrunque quidem illud, ex diligentia, multa, & multiplici lectione ut comparetur necesse est, sed lectissimi cuiusque auctoris atque probatissimi. Hanc ipsa porrò eloquentia cum orationem tractare, ducre, fingere variam & multiplicem potest, tum vero probabilem & illustrem. Probabilis est autem (ut inquit idem Marcus Tullius) quae mediocriter compta & expolita est, quae auctoritatem & pondus in verbis habet & sententias vel graues vel aptas opinionibus hominum & moribus. At vero illustris est oratio, si & verba grauitate delecta ponuntur, & translationibus superlationibusque insignia, ab ipsa actione rerum imitationeque non abhorrentia. estque plus aliquanto illustre genus dicendi quam dilucidum. altero enim fit, ut intelligamus: altero, ut videre videamur. Porro autem huiuscmodi eloquentiae supellectile habere in numerato oportet, & tanquam in promptuario quodam memoriae conditam: quippe quae ad usum scite promenda sit, & expedite interdum (ei quidem certe qui hoc suscepit, ut & probabiliter & ornate dicere se posse profiteatur,) quatenus quamque partem eius aptam esse nouit ad id quod usuerit ut dicendum sit aut scribendum. Varietatem vero sensuum rerumque intellectarum, e quibus verba ut enascantur oportet, ita demum mens hominis recte concipit, cum rerum simulacra, quae aliqui (ut idem inquit Tullius) spectra appellauerunt, in se se incidentia hausit. & horum spectrorum unusquisque nostrum cogitationem habet irrequietam assidueque informatricem, at ipsa vis informans & specifica, ab ipso sen-

DE PHILOLOGIA

su communi docetur formas rerum menti deliniare. Sensus porro ita demum peritus est magister & idoneus, cum è ciui- li vita & peregrina, ac multifariam exercita conuersatione, ea prudentia tinctus est quæ communis vocatur, à qua ipsa ne- cessere est, vt admirandæ orationis opifex, translationes, superla- tiones troposq; mutuetur. quæ eum locum ipsa numerumq; in eiusmodi oratione obtinent, quem nardus in vnguentis. Et hæc omnia in felicem quandam naturam liberalemq; incidē- tia, eloquentiam efficiunt dilucidam, ornatam atq; illustrem. quam multa exercitatione, plurimo visu coagmētata esse oportet. & sententiæ enim & verba ex varia, ex multa, ex accurata & multipliæ lectione comparata promūtur, quæ deinde per- pensa & retractata, diliguntur cum quodam fastidio iudicij stilo condocefacti. Proinde qui hanc dicendi facultatem su- pradicta ratione consecutus est, is demum orationem texere potest, æquabilem, cohærentem, sibi semper eodem in argumē- to genereq; eodem similem, non hīulcam, non lacunosam, non structura, non materia, non filo, non textura sibi dissentaneā: tum numeris pedibusq; astrictam generi orationis consentanēis: postremo non aliqua sui parte eodem spiritu eloquentię defectā: qui sic ubi destituerit, vela vt reflaccescat persuasionis necesse est: nec ad finem perferant oratori propositum, in quo demum situm precium est operæ. A qua insuper ipsa abesse oportet omnem insulsitatem, & cum verborum electione etiā constructionem eorundem cuiusdam modi esse. his etiam ac- cedere leporem, vrbanitatem, concinnitatem, grauitatem, & deniq; dignitatem quādam moratam & plenam auctoritatis. Iam uero huiusc facultatis, & tot tantarumq; rerum studium capessentibus, adesse quoq; necesse est vacationem rei familia- ris cæterarumq; curarum certam immunitatem, ab eo quidē certe studio alienarum. Nam quæ tanta mens est vel in corpo- re feliciter constituto, quæ res tam multas tam varias com- plecti eodē pectore possit, vnaq; animaduersione: & vero qui

velit, & sustineat cum possit, nisi cætera īmūnīs sit ipsa & feriata? Anīmī profecto tranquillitate & securitate opus est concipiendis sensis altioribus: tum musarum afflatus qui suppeditor est sensuum eiuscmodi, hauriri non potest ab animis nō compositis nec apud se existentibus. at sine eo nīhil nascitur excellens, quodq; illustre esse possit, cum alioquin omnium studiūm disciplinarū sit ociosi hominīs negocium. Omnia porrò supradicta ī vnum competere rarae est felicitatis. certe quidem nullum apud nos nec vidi nec memini ī studio-
so iuuene huiuscē competentiā exemplum. quo fit, vt nullus fortasse memoria nostra eloquens extiterit, si ad prīscam for-
mulām exigere eloquentiam velimus. At vero ī posterum fo-
re non paucos in Gallia vel eloquētes, vel (si religiosius loqui placet) disertos, sperandum est, si literarum splendori luculē-
ter augescenti, liberalitatis tuā modulos aliquot īpertire
ī animūm induixeris, ex iis etiam qui ē copiis exundantibus manant, & plerunq; redundantibus. Id quod vtq; facturus es
si non primo quōque tempore: tum quidem certe cum plane intelligere cœperis, vnuſ homo quid quamplurimis quāque p̄aestet ratione. Id tamen vt me superstite facere velis, id est
sine cunctatione, oro te, Here, obsecro, atq; obtestor, per illam quā te manet cū aliās, tum ē museo per te (vt speramus) per-
agēdo, gloriam propriam & perpetuam. Cuius postulationis exordium fecisse me (vt reor) meministi, in Commētariorum p̄afatione, quos ī linguam Græcam nuper edebam nominī
tuo dicandos. Disciplinę autem liberales, humanę quoq; ideo appellantur, quia mores hominū excellentius aliis expolire merito existimantur. At ex illis existunt decor, dignitas & ma-
iestas ī specie reipublicę, quā regum gentiūq; nomen & glo-
riam illustrant, & memoriarē commendant in perpetuum: quo honorificentius nīhil esse, nīhil magis expetendum ī rebus humanis potest. Thucydides, Herodotus, Plato, Aristoteles,
Isocrates, Xenophon, Demosthenes, alii permulti, Gr̄corum

VII
memoriā ad hunc diem, Atheniensiumq; imperii effigiem, lumen-
tis monumentis expressam eminentemq; reliquerūt: quē
nulla vñquam carie situq; vetustatis obliterari poterunt, aut
aliquatenus exolescere. Romanorum res gestas Līuius, Poly-
bius, Appianus, Plutarchus, aliiq; prodiderunt, quasi rerum
gerendarum potiundarumq; illustria exemplaria. Quorū om-
nium eloquentia, rebus suapte dignitate claris splendorē in-
super addidit, illustremq; commemorationis fidem atq; aucto-
ritatem. At vero gallicarum historiarū scriptores, de quibus
nonnihil supra dictū est, res ipsas quolibet modo posteritati,
non item eorum claritatem mandare potuerunt, nisi forte ca-
ligine fœda dictionis obductam & inuolutā multa vero pre-
clare & egregie gesta & instituta à Francis, silentio sepulta
ob scriptorum inopiam, memoriae hominum exempta sunt in
æuum. Cum igitur literas vitæ restitutas postliminio ætatis
nostræ videamus, cum nihil iam hoc tempus ad numeros vlti-
mos scribendi facultatis, præter regum & principum homi-
num opitulationem desideret, quid iam vetat nos sperare De-
mosthenes, Platones, Thucydides, Tullios, Līuios, eiusdemq;
notæ scriptorū & supparis, inox in mediū prodituros, nō imita-
tores tantū illorū antiquorū, sed etiam æmulos? Sint modo
præmia sua virtuti proposita, honestissimisq; studiis, fiat tua
benignitate vt, & laboris in literis impesi, & exhaustarū cor-
poris viriū & facultatū, cōstet ratio animis ingenuis, vt olim
cōstitisse legimus & nouimus, continuo futurū spondebimus
vt prisca literarum claritas in Francia rediuiua videatur. Cu-
ius exoleta iam vestigia, cum auorum nostrorum ætate reper-
ta sint, tametsi deinceps magnopere profectum est ad situm
squalloremq; eorum excutiedum: vltima tamen erumna huic
tempori destinata est, vt mea fert opinio, ad consumandam fa-
talem apocatastasim antiquæ sapientiæ. tanta enim sunt ho-
minum studia, tam fœcunda est hæc ætas ingeniorum, tanta
felicitas propagationis voluminum in vtraq; lingua, nihil vt

desideremus præter certam spem emeritorum. Nam quis artes, quis studia, denique quis virtutem amplectitur ipsam, præmia si tollas? Quanqun non mercedem contritæ ætatis florentissime poscimus, quæ repedi ne auro quidem & gemmis potest: sed honorarium huic facultati petimus, quod negari certe nisi summa iniquitate nequit. Quid vero fieri hoc tempore desperemus, quod olim factum fuerit? etenim quid memoria nostra & parentum non inuentum est, quid non editum & proditum, ad vitam iuuandam & ornandam, aut ex antiquitate relatum? Quod utinam ad vitam commodius agendam atque elegantius, non etiam ad onerandam luxu & delitiis ac pene obruendam multa naturæ & artibus inuertio actuosa extudisset & excudisset. adeo hæc ætas non modo res priscas, desitas & deploratas, vitæ restituisse, sed & artibus & naturæ vltimas operū notas videtur excussisse. De hac re vero tecum Budæe (Rex inquit) si ex animi sententia loqueris, dissentio. diuinam enim prouidetiam rerum huiuscmodi architectam sic cum mortalibus agere reor, vt naturæ & arti suis fabris atque opificibus, vna & eodem incumbentibus, per singula ferme saecula, aliquid noui designandum præscribat & imperet, quasi quo & ætates ipsæ insigniantur, & vita vberius instruatur velut in dies, sic in ætates. Sed quædā sunt fatalia tū naturæ tū artis operū veluti diluuiā, quibus res inuentæ interdū usui hominū commercioque auferuntur, cū interim alię quædā existant, quæ ordine fatali adhuc in imo erant naturæ arcanorum. Recentia autem saecula res inauditas pepererūt, & quas antiquitas quamlibet ingeniosa, nunquam (vt opinor) suspicata est, vt machinas bellī igniarías, inauditamque illam antiquis officinam stygiī Mulciberi, strenuę virtutis internicionem, & Martis ingenui deletricem, tā malefice fere aperta vi in mortales grasi antem, quām ars benefica, in eosdem artificio cęco & improviso: idcircoque capitaliore grassatur, & saeuore. Contrà autem ætates recentiores artem librariorum formulariā

ediderunt : validum ut mihi videtur ad miniculum ad exuscitandum & erigendum literarum vestrarum nomen: quod tandem iacuit ut exanimum & emortuum. Multa etiam & alia, in utrancq; partem valitura adhuc in altis naturae cryptis condita esse censeo, quae suo quocq; saeculo in lucem depromenda sint. Nec vero omnia, quae diluuiis illis rerum obruta fuerunt, adhuc emersa videntur, aut quadantenus existentia : etiam si ætas nostra omnem (ut aiunt) lapidem mouet, nihilq; non audit ipsa, moliturq; ad summersa tollenda & eruenda. Ne Here (inquam) per pauca ac fortasse etiam nihil iam desiderare vita videntur, quo fiat instructior, si modo literæ bona vltimæ manum restitutionis vtraq; lingua acceperint: quod in tua maxime benignitate situm est, ut ante mihi satis dixisse ac docuisse video. Quo autem fiat sanctior, quo moratior, quo ex dignitate christianæ nominis compositior & candidior, non modo non nihil, atq; etiam nihil non propemodum, desiderare: sed poscere indies magis, & vero flagitare voce oraculari vindetur & prophetica. adeo vel natura vel prouidentia ita comparatum est, nulla ut ætas vndiq; beata sit. Verum enim uero sermo gliscens longius nos, Here, ab instituto abducatur, eò unde digressus eram redibo, nec dubitabo dicere, posse antiquam quam vocant sapientiam, ad mores humanitate condendos & perpoliendos, iusto pene postliminio intra ætatem unam restitui, quod plurimum sit: nisi res pulchre nunc cedes aut aliquo casu incmodo (quod deus omen auertat) aut hominum culpa haereat. Pene autem Budæe (Rex inquit) etiam in posterū: penitus (ut opinor) dicere voluisti. Id vero Here, si dicere iterum & ad extremum sustinuerim, vereor ut tueri aquis doctissimorum animis possim, qui religione & cultu antiquæ sapientiæ perimbuti sunt. & nunc demum ipsi ad limatam veritatem & exactam loquimur. & ætas enim nostra, & omnis (ut opinor) posteritas, non inuita semper factura est, priscis ut eloquentem, nobis ut disertam eruditionem tribu-

at inter quas intercedere Crassus orator suminus, interualium magnum putabat. Id adeo ut fasces (ut ita loquar) doctrinę, maiorum illis gentium patriciis, Romanis ac Græcis scriptoribus submittat, felicioribus utiq; auspiciis ac maioribus Philologiæ sacrī initiatīs, præterq; sapientiæ ipsius externæ atq; eloquentiæ conditoribus. Immo vero (Rex inquit) cū Palladē vos perhibeatīs armorum iuxta disciplinarumq; præsidem ab antiquis esse habitam: si huius temporis res bellicæ sunt antiquis instructiores, ad vimq; oppugnādī & propugnādī multo apparatores, cur in literarum exercitamentis desperandum est, huius & posteriorum ætatū ingenia, si paulo magis aduigilarint, cum antiquis certare ex æquo posse. Etenim si in armamentis loricatae Palladis & scutatae, tam multæ cōditæ olim erant machinæ, tum miræ, tum horrendæ: quæ auorum memoria demum leuiter & vtcunq; nostra plane proptæ fuerunt, & in usum martis editæ: quid causæ est, quin etiam in sanctiore quodam museo, pallas ista vestra inermis artifex atque placida, abdita quædam habuerit eademq; visenda, quæ iam in mediū ipsa sit editura? mihi certe causæ nihil esse videtur, cōtēdente tātopere Philologia, quæ apud omneis ordines (vt dixisti) gratiosissima cœpit esse, absit enim ut cōcedamus hāc ætate ad martē exasperādū & bellonā crūētandā ingeniosā, ad mīneruq; expolitionē antiquitatī cedere. Siquidē (inquit) Here, ad eā Philologorū cōtētionē, maiestas regia & principalis auctoritatē suā passim opēq; munificā prolixe detulerit: digna etiā sint publice nō operæ dicā precia, sed honoraria tātū cōgrua, causæ nihil esse vel perparū ipse fatebor, quādo ita tibi nec immerito usum est. Qz vtinā opitulatrices tuas manus vel large suppeditatrikes potius, incōmodū qđdā nobis fatū nō alibi distinuisse: nimirū vt animus tuus iā tū hominib⁹ innotuerat, melius omnino atq; luculētius rei literariæ cōdicio cōparata iā esset. Verū quātū palladis numini non in castris tumultuosis & in hostiō, sed in statuīs trāquillis & in

pacato, tribuendum sit a regibus, ab aliisq; prícipib; viris
imperiis amplissimis præditis, huiusmodi figmento sapientia
prisca adumbratum reliquit. Mythologi tradiderunt Iouem
quondam Metim in modum catapotii deuorauisse, ex eaq; velut
sapientiae hausta turunda Palladem concepisse, ac deinde pe-
perisse. Volunt autem Vulcanum obstetricis munere in ea par-
tione fungétem, Iouis caput securi allisa disseciuisse, sicq; Pal-
ladé ipsam è Iouis emicuisse capite. Metis apud Græcos, con-
silium, soleritiam, prudentiam, sapientiamq; significat: quo no-
mine deam quandam illi intelligi voluerunt per prosopopœ-
iam. Quare hac mythologia intelligendum nobis dederunt,
nec sapientiam, nec rerum humanarum prudentiam homini
esse congenitam: neq; enim ex utero matris editam esse, ut vn-
gues & capillum. Quapropter Palladem sine matre genitam
prodiderunt: diuinoq; munere sensim ipsam homini accedere
hac ratione significarunt: sed non sine Vulcani opera & auxi-
lio. At Vulcani appellatione vniuersa fabricæ ratio significa-
tur, artiumq; perdiscendarum labor & contentio. Summa au-
tem fabulameti eò pertinet, inde ut cognitum hoc habeamus &
perspectum, artium & disciplinarum scientiam, quæ ab antiquis
dicta est sapientia, rerumq; instituendarum atq; administrâda-
rum ratione & prudentia, in diuina mente quasi in nativo con-
ceptaculo locisq; maternis ortam esse ac subsistere: easq; cu-
ris, vigiliis, laboribus, industria, cōtentione sedula, deniq; cor-
poris animi agitationibus fuisse in lucē editas, simul in viū
vitæ hominumq; utilitatem ab hominibus paucis traditas, in-
genio præstantissimis. Iam q; Palladem ab ortu statim arma-
tam esse tradiderunt, id vero intelligendū nobis dedit, artium
literarumq; scientiam: ex eaq; prudentiam emanantem, suapte-
vi & consilio, copiisque propriis instructam esse atque munis-
tam, ad se suaq; tuenda domi & militiæ, in hostico iuxta & in
pacato. Quare & ad quieta consilia & ad bellica, primam ho-
mínium doctissimorum & disertissimorum quasi quorundam

Nestorum Homerorum sententiam exquiri oportere: eā ob
rem maxime, quod pr̄eter rerū causas, quas literarum sc̄ientia
tenet, etiā exemplorum euentuumq; memorabiliū plena est
historia, plena etiā alia monumēta antiquitatis, ex quorum
lectione & memoria prudentia & consilium oriuntur, aut na-
turæ certe benignitate enata, aluntur & cōfirmantur. Porro
autem Pallas communem cū Ioue gerit ægide, quod pecto-
ris est munimētum. in cuius medio Gorgonis caput esse aiūt,
exerta lingua terrible, seseq; intuēteis homines stupore pene
saxeo afficiens. Quo figmēto vis illa eloquētiæ demonstratur,
quaæ admirationem cīere solet, vt supra de ornata atq; illustrī
oratione dīctum est. Siquidem lingua in pectore exerta, index
est facundæ ac disertæ orationis: quaæ non intra buccas ipsa
temereq; nata est, sed quaæ manat è præcordiis viri docti atq;
experientis, & è pectore prudentiæ grauiditate fœcundo. At
vero quod eandem deam poetæ artium pr̄esidē esse dixerunt,
quidnam id tandem aliud quā m symbolice docet, nullum va-
lidius esse præsidium vnicuique genti & imperio, quā m illam
à nobis s̄æpe dictam orbicularem doctrinam, humaniorū di-
sciplinarum choro, & tanquam reste consertam, omnium an-
tiquitatis arcanorum conscientiam, vniuersarum gentium, cūcto-
rum sæculorum morib⁹, legibus & institutis ornatam: deniq;
inueniendī, inuentaq; eloquendi facultate tectam & loricatā:
postremo aduersus vim humanam & fortunæ insidias præ-
senti consilio semper accinctam, contra fraudis & perfidiæ
strategemata munitam & instructam sapientiæ simul & pru-
dentiae antistrategemate? Est præterea in arce tanquam in
specula sita: loco vt vndique conspicuo & insigni, sic arduo
& multitudini inaccesso. inde omnia oculis illis glaucis (vt
est apud Homerum) perlustrans: ex præteritis futura con-
iiciens & perpendens: longè eadem respiciens & prospiciens:
postremo altius iactu telorum assurgens, & domiciliū fiducia
tuta atque secura. Hæc dicens ipse cum incaluisse viderer,

inoffensoq; satis cursu orationis res mihi procederet, aureis
 etiam pronas audientium haberem: tum linguis omnes ani-
 misq; fortasse multi fauerent, ut mea ferebat opinio: ecce tibi
 repente nihil proprius factū est, quām vt de statu fiducia vno
 Regis verbo deiicerer ac deturbarer. Enim uero (inquit il-
 le) Budæe, tu isti tuæ Palladi perquam validum præsidium
 circundedisti, egregiaq; adeò propugnacula facile architecta-
 tus es: multa quidem illa, rerum verborumq; varietate coag-
 mentata, sed haud scio an compage solutili, & fortasse cū ipsa
 (vt dicitur) oratione volucrī euanida. Non ego (inquam)
 Here, (quod pace tuæ maiestatis dixerim) sed prisci illi viri,
 summis ingenii summaq; rerum prudentia præditi: quorum
 architectura Aegypti pyramidas regum opera, mausolea, &
 cætera mundi miracula, non artificio modo, sed etiam peren-
 ni memoria longè superat. Sed tamen eandem illam (Rex
 inquit) & Palladem & Mineruam, quam tu eoru (vt opinor)
 auctoritate fretus, in arcem tam editam dicendi volubilitate,
 quasi trochleis eloquentiae sustulisti, idem ipsi poetæ (vt puer
 legisse mihi videor in fabulis) ad lanificium muliebre textu-
 rasq; delegauerunt, quæ in hypogeis fere fiunt. ex quo fit, vt
 iste vester orbis disciplinarum, immo vestra illa comptior Mi-
 nerua, nunc in cœlo esse, & cum cœlestibus versari, nunc de
 cœlo deiecta, aut fune remissario depressa ad ima videatur: &
 si cui cauillari libitum sit, infra Vulcanias etiam insulas rele-
 gata, Titionariasq; officinas. Quare vide Budæe, vt illam tuā
 mythologiam satis contemplatus sis. Ibi ego deprehensus
 necopinato, & aliquātisper æstuans atq; hæsitans, ad infantiam
 plane redactus eram. verū cū corona mēsæ regiæ mihi aqua
 clepsydræ ad hunc obicē repete hæsisse existimaret, (neq; em
 Vlyxes apud Alcinoum & Pheacas illos eram, qui in Regē
 incidisse, cum ingenii præsentissimi, tum iudicii acerrimi)
 ipsam mihi Mineruam quasi deum (vt Græci dicit) è tragœ-
 dia, adesse præsentem, & velut posticā admonitrīcem, repete

animaduerti. Itaque animo confessim recepto, Eia vero (inquit) Here, quasi tu nobilé illam illustremque Míneruā, ideo de cœlo (ut aiunt) detractā esse censeas, quod texturæ quoque numen & præfecturam sortita esse dicitur. Id quod te lacescendę urbanitatis causa magis quam ex animi sententia, appositiè ad risum interlocutū esse, quis horū qui adsunt non intelligit? qui quidem non ignoret quot quātisque dotibus sanctioris eius numeris selectiorisque præditus sis, & natura perpolitus. Ipse certè ordiendi scientiam, exordiendi & contexendi, non iam artis illius sellulariæ, in cellis depressioribus atque tenebricosis officio suo videntis, sed artis clarissimæ, & in luce splendidissima specimen sui præbentis, propriā esse dico: artis inquam oratoria: tamē oratoria dico: quid si etiā imperatoria: quid si regia: age, ut vetusta attingā, quid si etiam prætoria: si cōsularis, si denique senatoria: Ohe, etiam ne regiē subridēs (Rex inquit) atque imperatoria: Etiam enim uero, inquam, atque ita, ut iam textrinarum pudere eā cœperit, quasi tātu artificium, tā amplū, in locis sordidis atque obscuris obsolesceret. Enīm uero audire (inquit) gestio quomodo id nobis probaturus sis, & an ex hypogeis Philologiam tuam sic expedire possis, ut ex locis sylvestribus & abstrusis sine memorabili (ut ego quidem opinor) offensione eandem receperisti. Atqui inquam, Here, de illa syluatice expeditione, quam quasi in tumultu te urgente suscepī, tuum & aliorum iudicium expectandum est. hoc autem omnino quod nunc ago, futurum non dubito ut mihi protinus astipuleris, simul ut audire cœperis. Nonne filum orationis dicitur, & cōtextus & exordium? Mitto quod cœlestes illæ, vitæ humanæ & fatorum potentes, atque rerum (ut dicitur) arbitrae, Parcae, & nere dicuntur & stamina torquere: quo nomine saltem Mínerua in cœlum restitui potest, unde eam detractam esse tua maiestas perurbane atque in articulo cauillata est. Age iam, non dico quod naturæ primordia Lucretius antiquitatis cōsultissimus, appellauit quatuor illa

rerum omnium principia, sed nonne telā ordiri summi inter-
dum auctores dicunt, quasi prima manu moliri quipiam
ardui negocii & mometosi: quo in ipso tractando, sensim pro-
grediendum sit & quasi pedentim, & ita ut eequabili vel pru-
dentia vel astutia ad ultimam manum perueniatur, extre-
mamq[ue] lineam rerum absoluendarum: non aliter atque telam
in textrinis eequabili opificio artifices detexunt & pertexunt?
Sic enim Marcus Tullius in tertio de oratore usus est: & ante
eum Plautus exorsam telam eadem significacione dixerat.
quin & vocalissimus ille Triton diuinitus afflatus Esaias va-
tes, in medio mari huius mundi, olim inter sublimia praedicta
& fatidica haec quoque verba cecinit, Ut faceretis consilium,
& non ex me: & ordiremini telam, & non per spiritum meum.
Quare eiusdem Palladis est arces condere, arcibusq[ue] prae-
se: & telas rerum nouarum ordiri scite & circumspecte, in iisq[ue]
res, personas, partes, conditiones, quas ordienti commodū sit,
intexere & attexere: tum consilia agitare rerum utilium, & ex-
plicare: ac ne id quidē modo, sed res male consultas etiam &
institutas, antiquandī & abrogandī prudentia pollere. simul
telas aduersarum partium in necem patriæ & sociorum vel
orsas vel iam detextas, contrariis consiliis retexendi ac dis-
soluendī. Ad summam, mille dea est operum Minerua, vt in-
quit (si memini) in Fastis Ouidius. quantumque Orpheus ly-
ra quondam potuisse dicitur, tantum stilo eloquentia semper
potest, poteritque in posterum. Atqui (Rex inquit) Bu-
dæ vestram iam inde Palladem tantarum rerum praesidem
ac magistrum, libens credo fecero vt in regiam admittēdam,
non modo in curiam censem: idq[ue] additamēto & elogio aucto-
ritatis meæ regicq[ue] confirmē. Nihil em iā causę esse video, nec
causam quispiā eequus ac bonus dixerit, idēq[ue] doctus, quin ita
videri omnibus debeat & necesse sit. Aequiore igitur me post
hac & faciliori (vt opinor) usurpus es in collaudanda Philolo-
gia tua, cum Mineruā in suum gradū apposite restitueris, vne-

de eam tantisper summouere exercendi tuī causa in mentem
mihi ex tempore venerat. Post hæc regis verba , cum ego
quasi voti compos vīctorq; propositi , ab omnibus plausum
non mediocrem expectarem : ecce tibi rursus ab improviso
vnus è decuria selectorum,literarum nec ignarus ,nec magnō
pere peritus , qui mihi iamdiu imminebat in primam quanq;
occasione,ridiculi tantum gratia lacestendi vt postea appar
ruit,in æstum è portu longiuscule me reiecit. Is igitur verba
mea vltima quasi ansam sermonis arripiens ,Here(inquit)li
cebit ne mihi pauca cū ipso bona tua venia : Quod cum Rex
facile ac pro humanitate homini illi nota anuisset, Sane
quidem(inquit)Budæus regiam quandam,&supremi(vt di
citur)līciū textrinam, Mineruæ suæ architectatus est: in qua
tanta tamq; sublimia texi , ac tam multifariam possint, si illi
credere animum induxerimus. sed tamē Palladem ipsam ful
gentibus armis visendam,ægide terribilem,in arce sapientię
collocatam, idem Budeus Penelopen tandem fecit fœminam
imbellem , & castitate tantum fideq; coniugalí ab Homero
nobilitatam. Quam aliquando legimus cum Vlyxem mari
tum desideraret, a procisq; multis ad secundas procaciter nu
ptias flagitaretur,telam quādam, siue illa rotūda vestis fuit,
texere instituisse:eamq; texendo interdiu,noctuq; accensis fa
cibus retexedo,procos illos infestos frustratam esse amplius
triennium. Quonam id modo tādem inquam? Quia ista tua
versatilis in se(inquit ille) doctrina dicam an sapientia,nō
dum statuere possum, in texendis ac retexendis telis operam
suam venditat.vt si libeat argutari ex iis quæ tute dixisti,ope
ram eius totam in astruendo & destruendo consumi colligere
possimus. Quod pueri lusitando s̄a pe faciunt, lapillorum cō
geriem aut nucum extruentes, deinde ubi eius struis pertesum
est,eandem euertentes. Quod si homericam illam texendæ ac
retexendæ vestis ambagem , ad ludificationem vertere quis
institerit istius tuæ Mineruæ,quæ iuuenum mentibus obre

DE PHILOLOGIA

pít, obiectis inanibus simulacris sapientiæ, haud scio an scite & commode fabulam explicuisse merito viderí possit. multos enim videre est homines ingeniosos & natura industrios, ad istam eloquentiam quasi bonorum summam vehementer viā constanterq; affectare: in studioq; eius perdito atq; insano per inopiam consenescere. vere ut dicere & merito quis valeat, eos esse tanquam sp̄sos Penelopes, vt inquit Horatius, qui in oratione ornanda & comenda longe plus æquo occupati sint. Quis autem si artium vera operæ precia, non verborum pompam, inanemq; speciem lenociniorum attendimus, non melius, non commodius, non prouidentius vitam ad studia literarum comparasse eos fateatur, qui frugí illas artes altricesq; discipulorum suorum, consecrati sunt, quām quibus in senectute & olei & operæ in ista palæstra atq; exercitatione impensæ ratio parum constat: & quos plerunq; sero pœnitet, quantum de semetipsis tanta animorum contentionе, familiaq; sua meriti sint? Sed vos inuidioso nomine lucripetas illos & quæsticularios, & alumnos lítis & controuersiæ vocatis, cum ipsi vicissim vos lucrifugas appellant & damnosos, rei amplificandæ, & artis vitæ nescios, quæ pudenda est inscītia. Quòd si arbitram vobis ferri & controuersiæ nostræ disceptatricem, communem prudentiam non recusat, sponsonem equidem facere tecum híc iam paratus sum, altero quoq; tanto maiorem, aut alia gratiore tibi condicione, ni classicorum ego ciuium centurias auferam, cum tu hominum non censorum tabellas fortasse paucas ē iudicio feras, si res & controuersia in disquisitionem populi, & equitum, senatusq; missa fuerit. Enim uero (inquam) absurdam istam mythologiam esse atq; ineptissimam, tute (vt opinor) ipse intelligis. quasi vero ignores, eandem Penelopen stultorum hominum ac nebulonum expectationem, illo commēto texturæ elusisse. Vlyxem autem suum in patriam & ad penates suos reuersum, restituisse ipsum sibi metipsi, atq; sibi vxori: virum recta mente

præditum, philosophiæ studiosum. philosophi enim hominis
animus indagator veritatis, & captus amore veræ sapientiæ,
cui se semel ipse despondit, vel cui dei prouidentia potius de-
sponsus est: ciuili ille quidem vita doctus est existimator, sed
tamen assecla auditore philosophiæ. hic ea quæ interdiu ipse
& in hominum celebritate agens, texuit, scenæ (vt dicitur) mul-
titudiniq; seruiens, noctu ad sese reuersus, & secum ipse exi-
stens, retractat atq; retexit: luminibus (vt ita dicam) discipli-
narum accensis, mentiq; præluminibus. secum etiam idem &
cum philosophia summi boni excellentiam ad cotem limatae
veritatis explorat. fallaces honorum imagines sursum intuens,
despicit: quas ambitio & cupiditas, hiantes & pronæ conse-
ctantur. quippe quas nihil aliud quam oculorum & aurium
sensuumq; aliorum ludibria esse perspiciat, exitiosaq; animi
illicia. Philosophiæ vero suapte natura parum comis & blan-
dæ, iisq; queis cum nondum consuevit morosæ atq; refracta-
riæ, conciliatrix est optima Philologia nostra parens eloquen-
tiæ. Ipsa porrò eloquentia interpres est philosophiæ disertissi-
ma, eiusq; oraculorum. id quod te ignorasse oportet, vel mi-
nime certe ex animi tui sententia locutum esse, quod ego mihi
magis persuadeo. Ceterum quod animosus sponsor, ad pru-
dentia communis disquisitionem me vocas quasi ad Areopa-
gi aut duodecim (vt dicitur) deorum consilium & iudicium,
nihil nunc in metem mihi venit appositius quod respondeam
quam illud Isocratis, Eiusdem esse aut iniquitatis aut absur-
dæ ignorantia, & Busirim laudare & Socratem vituperare.
sic quæsticulosas quidem artes & cupiditatis ministras, vt
utiles commendare: liberales autem easdem & vere fructuo-
sas, ut inaneis floccipendere. Hic cum Rex arrisisset, & ille
subinde renides, cedere mihi sponsione non inuitus videretur,
satis intellectum est animi eum causa & risus excitandi non
contendendi studio id fecisse. At ego, Eloquentia vero (in-
quam) nunquam satis laudata, Minerva quidem ipsa alumna

& discípula sola omníum artíum res astruere satis potest & euertere. Siquidem quæ bona esse imperít putant, ipsa plus malí habere quàm boní facile docere potest atq; persuadere, quod cæteræ artes nequeunt. Tametsi quid si etiā passim mortuos excitare, sermonemq; ita iis tribuere, vt audientes viuos se audire & superstites atq; spirantes potent? Quid autem si plus quàm medicína pollet: plus quàm medicína dixi? quid si plus quàm Aesculapius ipse deus, & decus & auctor medicínae, quondam potuisse dicitur: quem ego te admirari in sermone memini ob facultatem diuinam: paucos enim fortasse mortuos exuscitasse, non etiā semetipsum traditus est. atqui eloquentia virtutum sola, à se illa quidem non dubie euerti, cæterum à nulla alia facultate potest: illa porro iterum sibi ipsa & vitæ à se restituī. Huius denique vim & potentiam facultatis veteres per Orphei lyrā significasse dicuntur, quæ suis sonis ac numeris omnia ad se trahere, omnia permulcere prohibita est & mansuefacere: quamquam non mulcendo tantum pollet, molliq; articulo tractando: & quidem torrentior interdum ipsa niliacis cataractis, omnia secum vel obstantia rapit, & aufert quo comindum cunque ei fuerit. Hæc ego dicens, in regis vultu oculos defixos habebam, eminente in vultu animi contentionē: quem cum suspensum ex ore meo visiderem & alte meditabundum, vereri statim mihi subit ut satis ei approbassem quæ supra de Penelope dixeram. Itaque ad eum rursus sermone conuerso, Evidem (inquam) Here, quæ de Penelope isti respondi, metuo ne non satis tibi probabilia visa sint. multa sunt enim eiusdemmodi apud nobilem illum vatem, quæ perdifficilem habent interpretationem, cum inter magnos auctores constet huiuscmodi fabulamenta, non sine symbolica significacione ab eo prodita esse. Verum si benigna tua venia licet profari quod nunc mihi in mentem venit, illum ego de Penelope quasi tropum, alludere ad mores ætatis nostræ ostendam, si quid mei iudicii est, vt mo-

re prisco loquar sententiam dicentium, quod omnino, Here, in
tuæ maiestatis arbitrio situm est, à qua omnium & magistra-
tum & priuatorum iurisdictio manat. Nam si quando de iu-
re cognitionum controversia in foro oriuntur, à capite illico
quaestionem arcessere, id est à regiorum iure sceptorum, ab
ipsoque diademate monarchico solenne est. à quo veluti per
enni fonte imperii, ditionisque exundantis, omnes riuui iuris-
dictionis olim ducti sunt, & quicunque iudicia exercent, aut
prouinciarum praesides, aut prefecturarum iuridici, aut cu-
riarum collegæ, aut recuperatores vel vniuersarii, vel ad cer-
tam causam cognoscendam dati, aut vnam aut alteram, eos
omnes iudicandi ius habere & potestatem à regia maiestate
oportet, quasiq; iurisdictionis spiritu inde afflatos esse. Nam
prima & ultima ditio, & vel multæ vel sententiæ dictio, à
numine diuino regibus credita & mandata est in vniuersum,
iisdem finibus cum imperio. Haud absimili igitur modo, in
hoc quod mente nunc concepi, nihil mei iudicii esse intelligo,
nisi eadem tua maiestas me iudice esse iubeat. Age, age (in-
quit) subridens, quod bonum faustumque sit, quæ res tibi
nunc in mentem venit, seu qua de re inter nos agebatur, seu
quaquis alia ei affini vel cognata, eiusce rei dicenda pro potes-
tate nunc indulta, ac pro tribunal temporario, sententiæ ius
tibi esse volo, iubeo, pro imperio monarchico sancio & statuo.

Quod cum ille protulisse placido vultu, liberæque senten-
tiæ largitore visus esset, Penelope (inquam) Here, princeps
fœmina, castitate illustri & decantata nobilis, mihi videtur
fuisse tua memoria, magnamque partem tuo principatu, Frâ-
cia, gentium omnium prouinciarumque (absit inuidia verbo)
clarissima, cum aliâs multifariam, tum ideo quoq; quod de-
nominationis piæ decus atque insigne, cōsensu mortalium di-
uinitusque inuenit. Hæc autem annos complureis vel inui-
dia quadam fatali, vel quia diuinæ gratiæ patrocínio, ad tri-
bunal prouidentiæ, orbata fuit tantisper aut destituta, vicino-

rum armis infestissimis petita est, atrocique coitione circumuenta, cum interim ad hunc diem stupente mundo ob rei miraculum incolumis ipsa semper eademque permanserit: etiam si turbine illo perstricta non nihil libata fuit. missum enim sanguinem veteris ac recentis inuidiae oportuit, quod ita temperatum est diuinæ manu indulgentiæ, ac tua felicitate, ut citra animorum deliquium euenerit omnium eius ordinum. neque enim in iugulariam scalpellum adactum prouidentia voluit. Interea igitur ipsa (si animaduertere paulo attetius velimus) quid aliud quam bellum, pacis, induciarum, fœderum, martis denique inter mortui vicissitudine, telam veræ pacis & solidæ texebat & retexebat? satagitans quidem ipsa nequicquam, cunctantibus adhuc fatis, & actuosa, ac sibi negotii non minus quam aduersariis atque inimicis facefens. Quod vtris partibus utilius tandem futurum sit, non facile est, ut censeo, iudicare, omnia suis momentis perpendere non grauatiss. Nam cum Cadmiam interdum vtrinque victoriae fuerunt, tum nescias fortasse victoriae an offensioni ipsi plus debeamus. Tam et si rursus quid Franciam tuam dico penelopeam telam texuisse? quam & cæteræ quoque prouinciae nominis christiani texuerunt, longe plus Bellonæ & Martis ipsæ etiam, quam pacis & quietis studiis tribuentes. Quippe telam diuinitus quodam modo exorsam, et si humanitus detextam, ex euentis iudicare planum est, ex ipsaque actus cothurnati atque atrocis placida catastrophe, & geniali atque comica. & consilia quidem hominum, si cu de consiliis contendere institerimus, tantum interesse aut amplius compereimus, quantum inter telas lineas aut carbaseas, & telas phalangiorum: reticulatas quidem illas & captiosas, sed facile dissipabiles. Quocirca nosse sese ut quemque hominum sigillatim, ita & omnem gentem uniuersim oportet: senatusque consultis prouidentiæ cedere, atque in eis acquiescere. Cæterum nunc causis iræ diuinæ (ut speramus) magnam partem expiatis, cum duo potentissima

orbis nostri imperia, auspice prouidentia connubiali vinculo coniuncta sint, pax utique trahali (ut aiunt) clauo fixa, Bellonam in exteris illas gentes deo bene iuuante ablegasse creditur, quae pacis auctorem ipsae conditoremque non norunt. Quo facto vniuersam pietatis ditionem sartam ac tectam seruauit ab imminente iam clade & aduentate. Valeat igitur Bellona, cruenta palla deformis & auersanda. satiis enim superque pyrrhicam saltauimus tibias inflante discordia contentiosa, aurei quondam pomii auctore. Pallas contraria et si bellum potens (ut dictum est) ac vulcaniis armis insignis, tamen pacis alumnus, & laetans concordie sodalitio, religiose iam in Francia bona que fide colatur, quae aequalis semper fuit felicis status publici atque principum. Quem tamen & ipsa semper nouerit hastam & caduceum in consilium proferre, vtrunque suo tempore. Verum enim uero maximus ille vates Vlyxis & Penelopes nobilitator, quem Democritus aiebat ingenium sortitum esse maius & sublimius humano fastigio, Mineruam Achilli moderatricem in Iliade sua magistrumque adhibuit, eandemque Vlyxi in Odyssaea, cum sub Achillis persona ostendere vellet, quid robur corporis summum cum animositate posset: contra sub Vlyxis, quid vis mentis & ingenii praestantis & eximii. vnde fit, ut poetae sapientissimi atque ingeniosissimi auctoritate & monumentis doceamus. Sapientiam litteris institutam, & bello & pace utilem ac necessariam esse. Proinde post hoc alterum iam colloquium, Here, ad quod maiestas tua, regia semper comitate coniuncta, descendere cum nostra tenuitate, non indignum regio fastigio esse censuit, ego votis conceptis a deo iam exposcam, ducem tibi Mineruam dari, perennem & assiduam comitem, beatae isti naturae multifariamque locupleti consentaneam & respondentem. Homericam dico Mineruam, illius haud dubie germanam & tanquam veterinam, quae philosophiae praeses disciplinarumque potens inter doctos existimatur. At vero Mineruam illam Ho-

DE PHILOLOGIA

mericam antiqui existimarent, prudentem & opportunum esse receptum sui, quae etiam tempestiva, resipiscentia dicitur. Qualis est illa, quae in primo Iliados Achilli praesto fuit, cum in Agamemnonem regem, vniuersi exercitus Græci nominis ducem, ille vehementius excanduisse, ipsumque Achillem ponere apprehensum capillo, strictum iam in regem ipsum gladium, condere in vaginam adegit, iramque confessim cohíere ac supprimere, per capillum enim verticem capitis intelligimus, ubi sedes est prudentia. Hanc & Palladem & Mineruam regiae maiestati atque imperatoriæ nuper affuisse in consilio credimus, cum ad pacem componendam, fœdusque in eundum, & arctissima necessitudine iucundaque sanciendum animos repente ita appulisti, generis ut propinquitatem affinitate blanda cumularitis. Nam quid id aliud fuit, quam Palladem Marti galeam trucem demere, ipsiusque frameam, ad piarum gentium internicionem denuo grassaturam, semel in vaginam condere? Verum enim uero prudentia est illa quidem luculenta dos naturæ atque magnipendenda, præsertim cum adminiculis experientiæ subnixa esse coepit. Sed tamen si literarum scientia vacat & historiæ antiquæ cognitione, est veluti Pallas semierinis atque ægide sua orbata. Quocirca peritissimos homines non paucos cum princeps maximus habuerit, tum ipse denique Palladis ægide & reuerentia tutus erit, nondum Martis copiis impedimentisque succinctus. Quod munimentum cum securitatem perinde ab inimicis & ab hostibus, tum ab occulta itidem oppugnatione præstat ut ab aperta. Regem porro tam maxime magnorum pectorum principem esse conuenit, quam maxime multorum capitum populum regendum diuinatus accepit. At pectus optimi principis & maxi magna ex parte in consilio eius est. & id ex omni ordine (nisi fallor) cōseratum aut compactum esse debet, cum omnium generum questiones in eo agitandæ sint. Proinde qui primus regum in animum inducerit ex Mineruæ comitatu, qui iam

vbique numerosus est, nonnullos in selectum consilium accer-
sere, in curias allegere, in decuriam denique cubicularem ascen-
scere, & cohortem iuratiorem: præclarum utique ille exem-
plum æqualibus posterisq; prodiderit, atque commemoran-
dum. Nihil enim ad posteritatis memoriam commétabilius,
nihil splendidius esse potest & prædicabilius, quām Palladī
eidemque Mineruæ, arcium olim, & regiarum, curiarum, &
senatum præfidi & principi, tot annorum situm, squallorem,
sordesque excussisse, eandem ex umbratilibus illis textrinis &
studiorum obscuritate, ad condicōnes vitæ illustres, solempnē
comitatus regii ascuuisse. Denique ipsi, prisca honorum insi-
gnia, magistratumq; fasces ademptos, tanto interuallo repos-
suisse decus erit eximium, historię imprimis festuum & cele-
brandum. A te autem, Here, eo amplius hoc expectatur à mul-
tis, & forrasse ab omnibus: vt iis qui illustrādis literis aut ex-
planandis ætatem addixerint procul à curiis atque tribunali-
bus, subsidia vitæ posita in beneficentia tua velis, quibus utiq;
ipsis, vt si cuiquam hominum nationi, in Franciæ prytaneo ali-
menta debentur. Quippe literarum restituendarum illuminā-
darumq; principes in unaquaque prouincia, quasi quidā Her-
cules sunt & victores sacrorum certaminū, quæ certamina
hodierno tempore magnopere vbique celebrantur. hicq; non
minus suas patrias quām seipso coronat, vt olim athletæ co-
ronare solebant, quod Plinius prodidit. & illis ea mens est, vt
& facultates & robur corporis, & sp̄ritus omneis effundant
& exhaustant in leuando labore æqualium & posteriorum, ci-
uium iuxta & externorū. Hoc certe Franciæ tuæ, hoc memo-
riæ tui principatus, literarum in Francia interpolatoris & pro-
pemodum parentis: hoc denique debes, Here, hominum de te
expectationi, amplæ & magnificæ. Et quoniam tu tanti nomi-
nis esse me exactorem non noluisti, (vt nihil amplius dicam)
& me iuris sui cognitorem literæ bonæ atque etiam optimæ,
actorem quoque suum eundemq; defensorem esse voluerunt:

DE PHILOLOGIA

libentius nihil facio, nihil promptius cum occasio se dedit: quām ea vt de re te plane appellem, quam tibi cordi satis esse nouī, & ē re atque existimatione tua futuram esse scio. In cuius rei euētum cum magni voti reus sim, eiusdem ipse damna- ri percupio antequam ē vita excedo. Cum enim aquam (vt dicitur) & ignem communia cum amoribus meis hactenus ha- buerim semper, ex quo amare cœpi: vtique extremum vitæ actū pro ipsis deuouere si ita res tulerit, non dubitarim. Nūc autem ego maxime eam deuotionem commissam esse letarer, quando viuus adhuc & videntis conuincerer tanti voti. Quod vtinam deus diuīque faciant vt non frustra adhuc expectem: dum prima & recta (vt inquit ille) senectus, dum superest La- chesi quod torqueat: & pedibus me porto meis, nullo dextram subeunte bacillo. Ipse mediussidius, vt Pelias ille quōdam, ad aliquot annos (vt opinor) recoctus esse non recusarem iisdē studiis amoribusq; colendis: si eum honorem ipsis habitum hisce oculis cernere puris adhuc & nudis possem. Capitalem enim illam carnificemque grauedinem, quaē mihi annos fere duodetriginta infestior fuit cōmētanti, quām canī cynomyia ī sole dormienti, vel prouocare iam possem. Hic cum lo- quendī finem fecisse, sermonis vicē Rex excipiens, Atqui (inquit) Budæe, tibi intus hanc cantilenam raro, vniuersis ri- ualibus s̄aepē canere ipse soles. mihi vero eam rem curæ fore iterum iterumq; promisi, omnemq; mihi ansam exceptionis ademi præterquam temporariæ, quam iura & instituta mori- bus nostris recepta, vt priuatiss, sic regib; & augustis indul- gent æqua conditione. neque enim si non quatenus, non etiam quando commode facere possum, appellari pollicitationis de- beo. Proinde iubeo te paulisper, ac si qui sunt alii tibi vt stipu- landi sic vouendi correi (vt esse permultos non dubito, & cer- to scio, cum plurimi iam sint (vt audīo) amorum tibi æmulū.) Interea igitur dum tantæ expectationis rē ipsi architectamur, cuius nondū fundamenta iacere nobis vacauit, Et simul hec

dicens: cum ad strepítum ingrediéntis vndæ procerum clientiumq; eorum, respexisset: sermone protinus interciso è sella hilari exurrexit, ego vero inde ita domum abiī, vt horis meis perparum eo altero casu detractum esse existimarem. Cæterū in eo Philologiæ atque Callilogiæ patrocinio non attentū nobis, non benevolum auditorem, non ad libellam (vt ita dicā) æquum iudicem, sed coronam desiderauī atque aduocationē in eam causam prop̄ easam. Spero tamen nihilosecius indiciisq; & argumentis non leuisbus colligo, futurum tandem cum deo benevolente, vt Philologiæ nostræ professio, quę uno nomíne liberalia studia complectitur, liberali ab ipso Príncipe manu, è sordibus inopiat, è nominis obscuritate, in lautas vitæ condicōnes splendidasq; asseratur.

FINIS

Sub prelo Iodocí Badii Ascensi. Anno. M.D.XXXII.

Mense Nouembri.

Reponenda hoc opere.

Fo.3,pag.1,vers.17,sui quæsq;. Fo.4,pag.2,vers.8,Principib;us,indolem. Fo.6,pa.
2,ver.26,possim. Fo.13,pag.1,vers.18,dicitabar. Fo.17,pag.1,ver.19,pedagogon &
mystagogon. Fo.35,pag.1,ver.9,primasq;. Fo.41,pag.1,vers.22,Idq; adeo. Fo.52,
pag.6,ver.19,spectator &. Fo.58,pag.1,ver.5,tragici & cap. pag.2,ver.28,restibiliq;e
Iobole. Fo.64,pag.2,vers.29,familiaris procurandæ.

VXLI

PRIVILEGIUM

in hanc sententiam impetratum est a Regia maiestate.

CVM Gulielmus Budæus Regis Consiliarius, libellorum supplicum in Regia Magister ordinarius, apud Regem verba fecisset de Libris de Philologia, & de Studio literarum recte & cōmode instituendo: postulans ut de eorum editione priuilegium irrogaretur auctoritate atque imperio Regio: de ea re Regi placuit priuilegium sanciri in Budæi postulatione conceptum, ne fraudi esset ac dispendio chalcographorū magistro cui Budæus opus edendum mandauisset; si, ut sperabatur, emendatos eos eleganter conformatos edidisset, aliique magistri postea operæ impensæ atque olei fructum ei præcipuerent. eamq; ob rem regia maiestas diploma iussit priuilegii. quo diplomate interdictū omnibus voluit huius libri impressione quinquennio proximo ab editione, præterquam cuī quibusve Budæus id licere voluerit. additumq; si qua alia in prouincia extra Regis ditionem iidem Libri imprimerentur, ne cuiquam liceat venales in regno publice proponere, nisi id permisso Budæi eiusve qui Budæi mandato ediderit, factum fuerit. Qui contra hæc quippiam admiserit, poena est in sanctione estimata: ut libri impressi, aut inter promercales habitū cū characteribus chalcotypis publicentur. Priuilegium subscriptum, signo Regio obliignatum est, Mense Octobri, anno tricesimo secundo supra mille & quingentos.

SCOTTISH HISTORIAN

ОДАУГА ВО
И МУРАЗИЦИ

170





Christophori Picarti, ex auctoris
Domo.

V,

F
F
B

Jean a Noyen a aussi fait un tracte' apres pres semblable
intitulé de la polymathie insinué en 1604 chez frateren 4°

Tallia quod Grada est, quod Gracia Barbara reg. It,

Draque vñido dicit utrumque suo.

Guilielma Vindicta VII de libro optime meritissimo et credibili labore, style —
durior et horridior: idque Erasmo posthabuit a Francisco I. Et ante tunc tanto
ara et dispositio nonnulli defuit, ut hystorul docta Commentariorum eius in —
linguam Francay, sed ruder et iudicata molea. pagr. 379. dum liber intitulat
Epigrammatum de virtute. Et. parigis apud Carolum Laurae 1659.

Hæc habet Erasmus pag 16. de Sacra dictis imprimèz en 1521. hunc passus est Ali-
prodest hac quidam in parte quod à paucissimis intelligitur. Tò dñs pma. siquidem
anymulque sic intidas eloquentia tua meus, ut non aliud, sed appellans auribus
camere videtur, tamq illic data opera luxoq & uerbo tñ miseri, lexiam —
quimpian nobis r̄gunt. Idq magis tñq facit in priore illa stomachatione:
quam nec ipse quis intelligere, quod r̄r ipsar parum notat Galatas, & tu —
nomina supprimis. Erasmus à sa page 17. de m̄tme Epistola proponit
et de cetero cœc r̄sonne par lequelles Budæ. Il fort difficile à lire et
a entiendre ^{qui son} quil ne déroit pas le assyler matin et ne disposerait pas
Tac suiter: quil usoit trop somme de metaphoræ et de parabolæ trop
subtilæ et rebusq, et quil se seruoit Nop lement de digr. sicut et
digressions trop longues et trop caheres des quelles il se seruoit sans choix
ut s'eleve à toute occasio,

Sol. 5. rato et vero de studio litterarum retie instituendo, nuper tamquam —
Dominica pauci ex Theologorum ordine exhibuerunt, appensa pertinacia prædicti —
qui lingua Graeca peritiam, litterarum haud dubie bonarum magistrorum aqua —
nistaueatibus, prævaricam opinionum institutis, esse frucentur et asserturibus
pro concione quoque, id quod eo capitalius fuit, quod in qua pro concione
dicuntur, sic la plebe populoque adeo imperito feceruntur, quasi ex —
ipso veritatis sacrae pronunciata.

fol. 7. Verso, Et cum in dignitate rerum euaserat et Vallinae coniunctionis, concionum et
argumenta novas al. Evangelio, novas à sacra batinis, novas al. oraculis calyphibus
summaritatis, s. d. à canticatione librorum fratrum quasi ex Olearu Schinarij.





